


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 F
22



DIVUS

FRANCISCUS XAVERIUS,

è

SOCIETATE

JESU,



ORIENTIS APOSTOLUS,

ORBIS UTRIUSQUE THAUMATURGUS,

ELOGIJS illustratus.

à

CAROLO LIBERTINO,

ejusdem Societ: Sacerdote.



CUM LICENTIA SUPERIORUM.

VETERO-PRAGÆ,
Typis Georgii Czernoch, Anno 1673.

AD

ILLUSTRISSIMAM

D. DOMINAM

FRANCISCAM

S.R.I. COMITISSAM

DE SLAWATA,

NATAM COMITISSAM

DE MEGGAU,

Hypothecatæ Ditionis Freyſtadianæ

GUBERNATRICEM,

Domûs Tertiæ Probat: Telczenſis Soc: JESU:

Nec non

ÆDIS XAVERIANÆ OPORZANENSIS

FUNDATRICEM

Munificentiſſimam.



VOTUM AUTHORIS.


SOli naturæ Sponſo,
Sic * dotem vaporũ perſolvunt Elementa;
ut ſolviſſe non pœniteat.

A 2 Nam

* *Ros non eſt aliud, quàm purus & ſubtilis vapor, reſolutus in aquam. Cornel. in cap. 45. Iſai. v. 8.*

Nam pro tenui hac dote
genitali rore, Tellus ſoboleſcit in germina;
(a) Mare gemmeo Concharum partu
gravidum,
pretioſa operitur puerperia.
Quibus coronas ſuas pro cunis adornant
Reges,
Et *(b)* Diademata explicant pro faſcijs.
Sic Naturæ Sponſus,
Ex ipſis Elementorum ſpolijs
Elementa maritat, non viduat.
Ergo diſpendia Tuæ in Xaverium
beneficentiæ,
nè time FRANCISCA.
Utriuſque Elementi ingenium refers.
Tellus es;
Sed cui Pæſtanæ invideant glebæ,
Nam ex te Boëmici gloria Pæſti,
ROSÆ SLAVATINÆ.
Imò par es educandis Regijs Stirpibus;
(c) Nam


(a) *Conchas, ubi genitalis anni ſtimulaverit hora, pandentes ſe ſe, quâdam oſcitatione, impleri roſcido conceptu tradunt, gravidas poſtea eniti. Plinius lib. 9. cap. 35.* (b) *Erat faſcia purpurea, quæ caput circumligabat. vide Cicer. 2. Philip.*



* Nam inter manus Tuas, velut Regales
areolas,
Augustissimus Imperij flos LEOPOLDUS
adolevit.
Hinc Orbis Christianus in ære tuo est;
Cujus curâ
Flos Austriaci Sanguinis in culmium
surrexit,
Novum daturus Augustæ propagini
stipitem.
Mare es:
quod hauriri potest, non exhauriri.
Inde gemina Munificentiæ profluvia;
Alterum publicorum more fluminum,
palàm procurrit in indigos:
alterum per subterraneos occultæ benefi-
centiæ specus,
absque arbitris meat.
at utrumque
ad fontalem originem rediturum cum
fœnore.
Ab utroque hoc Elemento, Amoris vapores
traxit

A 3 Sol

* *Fuit Educatrix Augustissimi Cæsaris* LEOPOL-
DI I.



Sol Indiarum XAVERIUS.
Ædes Oporzanensis Divo Tuis Sumptibus erecta,
Quotidianæ Tuæ augendis Xaverij splendoribus curæ,
Liber hic, ex asse Tuus,
Amoris vapores sunt,
quos occulto magnetismo Sol ille Indicus traxit.
At dispendia nè time.
Damnis tuis fies ditior.
Nam XAVERIUS, more Solis,
Vapores hosce beneficos sublimabit.
Sic rorem dabunt hæc Meteora,
Quo in gemmam Patriæ densetur
FRANCISCA.
Hanc sive *(a)* Hexacontalithon dicas,
Sive *(b)* Astroiten,
perinde erit.

Nam

(a) *Est gemma sexaginta elegantiarum, quòd totidē gemmarum gratiam habeat. vide Isidor. lib. 16. Origin. cap. 12.* (b) *De Astroite gemma solari, seu Solis oculo dicta, vide Anselm. Boëtium Rudolp. II. Gemmarium, lib. 2. de lapidib. & gemm. c. 78.*

Nam & ſparſarum per patrij Gynæcei gemmas virtutum
Syllabus eſt,
Et Solem Indicum in oculis fert, dum amat;
Et moribus refert,
Dum ut Solem Aſtroites,
Sic illa XAVERIUM exprimit.
Zelo, pietate, Religione,
FRANCISCA FRANCISCUM.
Sed nec Tibi ſoli rorabit XAVERIUS;
Vigebunt & Roſeæ Stirpes Tuæ,
Matutinis his gemmulis,
Et rorem ſugent,
quem Materna Tellus de Cœlo traxerit.
Sic & Terra Stirpium Mater, & Nutrix,
acceptum à Cœlo imbrem,
in alumnam Sobolem partitur,
Vernabitis percolato hoc imbre,
Immarceſcibiles ROSÆ SLAVATINÆ,
* Et lividus Invidiæ oculus,
ad ruinam Veſtram,

 Quon-

* *Anno 1618. 23. Maij, Guil. Com. Slavvata à rebellibus ab alto præcipitatur. Jul. Bell. lib. 2. Hiſtor. noſtri Temp.*

Quondam vel inter atros Patriæ turbines
oculatus,
hoc fulgore præſtrictus; exoculabitur.
Sed, & ævum feret Roſea hæc propago:
Nam eliquata ab Indico hoc Sole gratiarum
ſtillicidia,
Spirantibus è Cœlo favonijs permiſta,
perpetuo Roſarum conceptui favebunt.
Ita ſcient Poſteri
Nunquam in ventos ſpargi beneficia,
* Nisì in eos,
quorum afflatibus ſparſa hæc Sementis,
repullulet cum fœnore,
Auræ Cœleſtis Favonios.

Sic vovet

Minimus in Chriſto Servus,

CAROLUS LIBERTINUS
S. J.

BE-

* *Favonius ſuo afflatu ſtirpes reviviſcere facit, vide Plin. lib. 2. c. 47.*

BENEVOLO LECTORI.

*PIcam volucrum loquacissimã, auditis Romæ buccinatoribus, conticuisse illico; productóque per complures dies silentio meditabundæ similem hæsisse: ac tandem, velut expergefactam, omnem illum buccinarum sonum, & harmoniam stupente populo, scitissimè reddidisse, * Author est Pierius in Hieroglyph. Mihi Elogia Emmanuelis Thesauri, Patritij Taurinẽsis sæpius lectitanti, Phœnicem ingeniorum audire, & legere contigit. Nam sic Virum spectatissimi ingenij Dux Sabaudiæ* appel-

* *Lib. 23. cap. 17.*

appellare consueverat. Ergo Picæ illius instar, meditabundus hæsi tantisper, suavem Phœnicis huius exprimere tentaturus harmoniam. Nunc igitur rumpo silentium, & crescentem in dies, magìs ac magìs, famâ prodigiorum, Orbis utriusque Thaumaturgum D. FRANCISCUM XAVERIUM, concinnatis Elogijs cano. Sed quâ voce? Phœnicísne hujus Pedemontani æmulâ, an ingratæ duntaxat Picæ? Tuum erit discernere Lector. Mihi propositum fuit, rari hujus Phœnicis suave melos duntaxat imitari. Quodsi assequi non licuit præcinentem, nil interest. Nam à vero non aberrat Romani Sapientis Oraculum. * Nunquam par fit imitator Auctori, & semper citra veritatem est similitudo.

DI-

* *Seneca Lib. 1. Declamationum.*

§) 1. (§

DIVUS

FRANCISCUS XAVERIUS,

è

SOCIETATE JESU,

ORIENTIS APOSTOLUS,

ELOGIJS

illustratus.

ELO-

ELOGIUM I.

IGNATIUS Cœli Miles è Mundi Milite.

METAMORPHOSIS.

ADverte oculos, Viator,
librum aperi:
Editam in lucem, cum IGNATIO,
leges Metamorphosin.
Oritur in Occidente IGNATIUS,
primâ *loci* Metamorphosi;
Phænomenon ortum in Occasu.
Phosphorum dicas, an Hesperum?
nîl refert.
Utrumque est.
quia utriusque hemisphærij Jubar.
Postremum editur hoc Sidus,
enatis priùs * septem fraternis Sideribus;
alterâ *Ordinis* Metamorphosi,
Histeron, proteron.
Primum edi debuerat.
Nempe fæcunditatis Maternæ limitem,
IGNATIUM fecit natura,

Quæ

* *Octo fratres erant, Ignatius ultimo genitus. Ribad. vita Ign. lib. 1. C. 1.*

Quæ in tot prolibus effingendis tentatum
Exemplar
tandem abſolvit in IGNATIO.
Ita: *Non ſemper prototypa, ectypis meliora,*
Nam *ſæpe virtutem ſpargit natura in plures,*
Cujus Syllabum faciat in uno.
Ergo emicat generoſis ignibus Martiale Jubar;
Nam Catholici Regis aulam,
Tum Caſtra, ſequitur IGNATIUS.
Ibi, novam Orbi facturus Metamorphoſin,
Claſſicum canit in Gallos:
Quod tandem Echo bellica terminaret,
SOCIETAS JESU.
Advertis Sacram Metamorphoſin?
Hanc cudere cœpit,
bellico fulmine proſtratus IGNATIUS.
Sacer è profano ſurrecturus inter fulmina.
*Cerauniã nempe gignebat in IGNATIO DEUS
raram Eccleſiæ gemmam,
inde inter fulmina naſcitur.
Sic filius Tonitrui, Boanerges IGNATIUS,
pretium, ſplendorem, & lucem,
accepit ab ictu.
Ergo Pampelonam Galli,
DEUM ſaucius occupat IGNATIUS;
Utri ſpolium ceſſerit opimius,
Tutè

**Ceraunia, rara admodum, non alibi invenitur, quàm in loco fulmine icto. Plin. lib. 37. c. 9.*

Tutè arbitrêre.
Quæritur tamen fallendo tempori,
Opportunus Codex
Sed qui Orbi legendam præbeat Ignatij Metamorphosin.
Nam uno libato sanctiore codice,
stupendâ vicissitudine,
IGNATIUS à se ipso abit, & redit.
Alium fingit in seipso,
Militem authorat in Milite,
Ducem in Duce format,
Bella meditatur, bellorum pertæsus,
Sagum exuit, & induit,
Classicum canit, & silet.
Advertis unius energiam Codicis?
Quid Vaticana egisset Bibliotheca?
Nempe pyrio pulveri sufficit scintilla.
Glaciem nostram nec Ætna succendit.
Petrus subinde Ecclesiæ petra
ægrum visit;
Et ut novam in ægro cudat Metamorphosin,
sanat.
Adverte Cœlestis Architecti consilium.
Ecclesiæ Columnam molitur in IGNATIO
DEUS,
Inde basin ei petrinam supponit,
Tu de hac basi Columnæ vires metire.
Adest & Cœli Regina,

Castam

Caſtam luſura Metamorphoſin
in IGNATIO.
Nam Ariadnam nunc induta
è voluptatis Labyrintho Theſeum educit.
Nunc in roridam nubem converſa,
Caſtas è Cœlo ſpargit gratiarum nives,
Quæ in IGNATII pectore exceptæ,
durantur in Cryſtallum,
in (a) patrias Veneri aquas, non abituram:
Sed & Domus tunc intremit, à fundamentis
ſuccuſſa;
Et bene;
Nam (b) ſexaginta elegantiarum gemma eſt
Caſtitas,
Cujus cunæ Terra, laborioſis motibus fatigata,
Obſtetrix MARIA.
Sic animo, & corpore integer IGNATIUS
Montem Serratum petit;
ibi ſerram reperturus,
Qua à ſe, ſuiſque, Patria, Fortunis dividatur.
Hinc arma profanæ militiæ,
è Tholo Mariano appendit.
Sumptis è Sacræ Militiæ (c) hoplotheca armis,
Sacco, fune, catenâ, cilicio.
Sic novam daturus Metamorphoſin,
à ſe

(a) *Aquæ Patria Veneris. vide Horat. in 4. Carm. & Orpheum in hymn.* (b) *Vide Iſidor. lib. 16. Origin. c. 12.* (c) *Armamentario.*

à se ipso hoste, bella auspicatur.
Nam Manresana in rupe nactus amphitheatrū,
Sedente ad Orchestram Cœli Senatu,
Cruentam in se ipso exhibet Monomachiam.
Hic catenatus, & liber,
purpuram indutus, & pannos;
Victus, & Victor,
triumphans, & triumphatus,
in summo silentio,
sonantissimum de se ipso canit Pæana,
Cœlo Epinicion accinente.
E Manresano specu, in Palæstinam prodit
IGNATIUS;
Hierosolymas visit
Pacem visurus, in *Pacis visione*
Ita *finis belli* Manresani, fit *Pax*.
Hinc redux Tricenarius sub ferulam redit,
Jam Scholasticæ Militiæ Tyro;
Calamum pro ense stringit,
atros fusurum liquores, pro rubeis:
Barcinonis Gymnas, campum præbet,
ubi arte pugnaturus, non Marte,
prima subit Grammaticæ Elementa.
O bellam Metamorphosin!
Nempe eadem est SOCIETATIS JESU,
ac mundi Machinæ compaginatio.
Utraque originem debet *Elementis*.
Hinc variorum decorum *Mixta*.

Nam

Nam *rerum maximarum Principia, ſunt Elementa.*
Ab his ad ſtadium Philoſophicum vertitur Pariſios.
Novâ iterum Metamorphoſi,
jam Stadiodromus IGNATIUS.
Non tamen priùs *Curſum* cœpit,
Quam Compluti, & Salmanticæ *Carcere* clauderetur.
Inde effuſis habenis,
Philoſophicæ Laureæ tenuit *Metam.*
Hac (*a*) paraſceve præmiſsâ literarum,
arma corripit in Orci perniciem.
Huc novem legit commilitones,
ipſe facturus Decennarium.
Sic è Duce fit Decurio, Centurio futurus,
tandem (*b*) Chiliarcha.
Nec decimum exceſſit numerus Sociorum,
Ut è X numero ſenſus armorum pateſceret.
atque ita, & Milites legeret,
Et ſignatum erigeret Vexillum.
Novem ſibi adjunxit;
Ut in novenario (*c*) Cubum reperiret,
In quo revolutâ toties ſiſteret Metamorphoſin.

(a) *Apparatus.* (b) *Qui mille viris præeſt.* (c) *Cubus eſt in numeris, cùm omne latus ejuſdem numeri, æqualiter in ſe ſolvitur ut ſit in ter ternis. Vide Au. Gellium. Noct. Attic. lib.* 1. *c.* 20.

ELOGIUM II.

SOCIETAS JESU, IGNATIO Authore fundatur.

GENETHLIACON.

NAſcere fortunata IGNATII proles,
SOCIETAS JESU!
Dum noſtra Tibi Cythara, Genethliacon canit.
Diu parturientis IGNATII uterum preſſiſti,
ut prope timeretur abortus.
At diu formatur, tardè naſcitur
Victurus Sæcula (*a*) Elephantus.
Incunabula purpurea naſcenti
Inſtravit Mons Martyrum.
Adverte Regiæ prolis inclytam Proſapiam,
Cui Martyrum purpura, primas explicuit
faſcias:
Nec dubita de (*b*) Chlamyde,
ubi prætextam poſuerit.
Naſcitur ipſo aſſumptæ in Cœlos Virginis die
Nem-

(a) *Decem annis geſtare in utero Elephantum vulgus exiſtimat; Ariſtoteles biennio vivere ducentis annis, & quoſdam trecentis. hæc Plin. lib. 8. c. 10.*
(b) *Nota bellicoſæ Indolis.*

Nempe hanc *Lucinam* huic *partui* obſtetricari
oportebat,
Hoc *Sidus*, huic *geneſi* exhibere *Horoſcopum*.
Ita Sole ſignum Virginis percurrente naſcitur,
Eundem ſortita cum Auguſto (*a*) Cæſare Horoſcopum.
Inde læta publicæ felicitatis prognoſtica,
Chriſtianæ Reipublicæ pax,
Imperium in Hæreſes,
Et aurea Eccleſiæ ſæcula.
De *Monte* Martyrum,
ad *Septicollem Urbem* transfertur,
Minorennis adhuc SOCIETAS:
Ibi ex IGNATII primogenita, ſecundogenita
futura,
Et uno in monte nata
Septem in montibus denuo naſcitura.
Adeò brevî aucta hæc Soboles
ampliores poſtulavit cunas, ut denuo gigneretur!
Quin & unus Pater, tantæ proli edendæ impar
(*b*) Paulum III. Orbis univerſi Patrem,

B 2 Com-

(a) *Auguſtum Cæſarem natum Sole ſignum Virginis percurrente, ſentit Emman. Theſaurus. vide eundem in Natalitijs pompis Franciſci Hyacinthi Sabaudiæ Ducis primogeniti, nati Anno 1632.*
(b) *Paulus III. Soc. JESU Inſtitutum confirmat. Anno 1540.*

Compatrem habuit.
Hoc Parente,
SOCIETATEM JESU
quam concepit Pampelona,
Complutum, Barcino, Salmantica, & Parisij
formavêre,
tandem plenè, Orbis Caput genuit ROMA,
(Ita ex potenti hoc Capite,
nascitur Christianæ Militiæ (a) Pallas,
Scutum Ecclesiæ porrectura,
in anguiferæ Hæreseon Medusæ ruinam)
Anno Orbis redempti M. D. XL.
festâ luce DD Cosmæ, & Damiano,
Cœlestibus Archiatris;
qui pessimè affecto Orbi terrarum medicinam
facturi,
IGNATIUM submisêre Æsculapium;
Qui Vis Theriacæ Apothecam ægris aperiret,
dum Sacramentorum promptuarium conderet,
SOCIETATEM JESU.
Sic natam appellavit Pater,
Mutuato à Marte potius, quàm Apolline
nomine;
ipsâ (b) Nomenclaturâ documenta daturam
Bellicæ Originis.
Nam à bellico Patre bellicos inter fragores nata,
Belli

(a) *Vide Natal. Mitholog lib. 2. c. 1.* (b) *Societas bellicum Nomen, maximè Italis.*

Belli Filia, Belli Mater futura,
Bellonam ferre debuit in Nomine.
Quo audito, classicum audirent Ecclesiæ hostes.
Audin' hoc classicum Luthere?
Cane receptui.
Bellicosum hostem nactus es.
Nam SOCIETAS JESU, vix nata, (*a*) scutis excipitur,
IGNATIUS Miles Pater est,
(Aquilæ Columbas non generant)
Nomen ipsum arma Virumque canit;
Cave ne cum (*b*) Turno hanc Æneida termines.

ELOGIUM III.

SOCIETAS JESU quadruplici classe distincta

AGON.

HUc assuctos profanis theatris oculos converte,
Jam Sanctius Orbis theatrum
ROMA.

(a) *Reptasti per scuta puer. Claud. in paneg. Honor. Aug.* (b) *ast illi (Turno) solvuntur frigore mēbra Vitáq; cū gemitu fugit indignata sub auras. Æneid. 12.*

Agonem spectabis,
Quem factiosæ in Circo Quadrigæ,
(*a*) Russata, Albata, Prasina, & Veneta
antiquato dudum Nomine revehunt,
Agonothetam rogas?
IGNATIUS de Lojola est,
SOCIETATIS JESU Fundator.
Hunc Olympia isthæc Herculem,
Isthmia Theseum sibi vendicant:
Metam, (*b*) & Turbinem trigonus, ut olim,
exhibet Obeliscus
DEUS TRIUNUS.
omnis peripheriæ centrum, & cursûs meta.
Supremum Obelisci conum,
aurata coronat Epigraphe:
AD MAIOREM DEI GLORIAM.
Huc cursus Quadrigarum effunditur,
hîc sistit.
At ubi Circus, quadrigæ, factiones?
accipe.
Circus ubi curritur in *Orbem circinatur*
Nam SOCIETATIS JESU Campus, Orbis
Terrarum est

Car-

(a) *Sunt nomina factionum inter aurigantes. de his vide Bullengerum tract. de aurigantium colorib⁹ cap. 48. & Panuvinum lib. 1. de ludis Circensib. cap. 10.* (b) *De Circo & ejus partibus. vide Athenæum lib. 13.*

Carceres Oriens, metam Occidens præbet,
Circi latera,
Hinc Septentrio, inde Meridies claudit.
Hîc æternâ periodo curritur, & recurritur,
Et Orbis limites, aurigantium limites sunt.
Quadrigas, quadruplex distinguit color,
factiosæ æmulationis fomes.
Russatus, Albatus, Prasinus, & Venetus.
totidem classes numera,
quibus SOCIETAS JESU distinguitur.
Primum Factioni Principi, detulit
IGNATIUS,
Igni sacrum, & Marti,
Societati JESU Professæ.
Hæc cum igneo agmen ducit IGNATIO
Et velut primum mobile
reliquos Cœlos in cursum rapit.
* Olympionicam dixisses hanc factionem
si sic Olympia decurrisset.
Russatæ succedit Albata.
Societas JESU in Spiritualibus Coadjutrix.
Hanc à cæteris distinguit illibatus Candor,
Et vacua Ambitione Modestia.
Nam locum in agone secundum non aspernata,
secundissimè fertur.
Diviniori, quàm olim Romana, Zephyro
dicatur,

* *Victricem in ludis Olympicis.*

Cujus ſuavi impetu propulſa,
prodromas Societatis Profeſſæ quadrigas;
urget proximè
Et metam, utrique communem tenet.
Albatam excipit Praſina,
Veri dicata, ac floribus,
Florida *Scholarium* Juventus;
Factio Ver in vultu, & flores in genis ferens.
Æſtatem cum meſſe datura,
Ubi adultior Mentis Sol,
relictâ Geminorum teneritudine,
in Viro Leone fulſerit.
Hæc è Tyrocinij Carcere curſum auſpicata,
tenerum figit pedem,
in veſtigijs præcurrentium æmulorum.
Et ſacrum profano artium Curſui jungens agonem,
Ad communem cæteris fertur metam,
MAIOREM DEI GLORIAM.
Agmen claudit Veneta
Cœruleis quadrigis invecta,
SOCIETAS JESU *in Temporalibus Coadjutrix*
Hæc à Cœlo, cujus intuitu laborat
colorem trahit.
Maris æmula,
Quod ab adverſi Cœli aſpectu colorem mutuatur.
Sic laborioſum ingreſſa agonem provehitur,
fluit

fluit per ora ſudor
Sive Ceromatis locò ad luctam,
ſive unguinis ad curſum.
Sic vehitur cōcitatus Aurigantium Quaternio,
Cui è ſublimi jam Cœli ſpecula,
calcar ſubdit Agonothetes IGNATIUS,
Oculi ſtimulorum vice ſunt:
Nam Oculus Agonothetæ, agoniſtarū calcar eſt,
tot armatur aculeis, quot radijs.
His agitati Aurigæ,
Ordine impari
pari tamen celeritate, metam contingunt.
Ita uno omnes pede viam menſi,
unam extendunt manum ad bravium,
unum daturi Lauro agonali verticem,
Quo ut & Tuus implectatur Viator,
abi, & ſequere.

ELOGIUM IV.

Sanctus FRANCISCUS XAVERIUS Agoniſtarum Soc. JESU Princeps.

APODOSIS.

SPectaſti aurigantium IGNATII Sociorum,
quadrigas ROMA,

Jam ad unum Orbis Indici Campum,
oculos exporrige.
Circum hic videbis, *Maximo* majorem.
Nam Orbis Terrarum hemisphæriū complexo,
Carceres præbet ROMA,
Campum vastissimi, Asiæ tractus,
Metam (*a*) antipodales Japonum, & Sinarum
Insulæ.
I nunc, & agonistam, de hoc Circo metire.
Quis sit rogas?
IGNATII Patris secunda Proles,
(*b*) SOCIETATIS JESU GLORIA.
FRANCISCUS XAVERIUS.
Hunc è tanto Agonistarum Sociorum numero
unum,
Dum natum Orbi, renatum DEO,
A Summo Ecclesiæ Agonotheta
PAULO Papa III,
in Orientem missum,
ultimas demum terrarum metas
victrici manu tenentem sisto:
Tu ad spectaculum conside,
Et Sanctiora veteribus (*c*) Agonalia, celebra.

ELO-

(a) *Japonicæ Insulæ sunt prope antipodales Europæ. vide Bartoli in Vita S. Xav.* (b) *Sic XAVERIUM compellat Caspar de Villaroël Episcopus Chilensis.* (c) *Agonalia à certaminibus quoque & laudis sic dicta, docet Ovidius. in lib fastor.*

ELOGIUM V.

D. FRANCISCI XAVERII Prosapia.

GENEALOGIA.

(*a*) STemmata quid faciant,
Quid prosit sanguine longo censeri?
E XAVERIO disce Satyrice.
E Regia Navarræ Stirpe,
Regius pullulat Surculus XAVERIUS.
(*b*) *Basilicam* herbam diceres,
E *Basilica* semente natam,
quam quia molli manu mulcebat IGNATIUS
Virtutis expressit odorem,
quem uterque Orbis persentiscit
fortè Scorpios genituram vitiorum,
si duriùs tractâsset.
Sed vide Regalem XAVERII prosapiam, & stupe.
Regius Sanguis
Multiplicibus rivis in XAVERIUM transfunditur,

Ne-

(a) *Juvenal. Sat. 8.* (b) *Basilica Symbolum lenitatis, leniter tractata odorē: attrita scorpios generat. vide Justinian. lib. 6. Genuen. historia.*

Neque ultra XAVERIUM fluit
O prodigium!
Regij sanguinis gloria derivatione crescit
Et purpura sapius tincta, rubescit magis.
Nec minùs Regum Sanguis situ flaccescit,
quàm venarum cruor,
Cujus vigor in motu est.
Aggerem tamen objicit eidem XAVERIUS,
& torrentem sistit.
At unde strues consurrexerit? accipe.
Mollem de lilijs ripam, torrenti objicit,
se ipsum.
Dum se Regalis prosapiæ Terminum,
in florem pudicitiæ transformat.
Ad cujus candorem verecundus sanguis
sistitùr.
Celebrate Regium Nepotem Reges Avi,
Qui à vobis, ita purpuram accepit:
ut eâ non *chlamydem* pingeret, *sed genas.*
Ne tamen omnino sterilesceret Regum sanguis
in XAVERIO
acceptam à Majoribus Coronam,
* fonti apposuit
Nam Regiorum Avorum decus, Regius hic
Nepos,

Nisì

* *De festo Fontinalium, in quo fontibus Corona injiciebantur gratitudinis ergò, vide Varron. lib. 5. de lingua latin.*

Nisi Reges habuisset Majores,
Reges fecisset
Vide alternam Vicissitudinem.
XAVERIUS è *Majoribus* suis *Major*
Et XAVERII *Majores*, è XAVERIO *Majores* fiunt.
Ita vertitur in XAVERIO Consanguinitatis Arbor,
Dum stipes à ramo, vigorem sugit, & vitam.
Disce Lector.
Aurora Mater Soli filio splendorem debet, ac purpuram
Et *sæpe Majores, à posteris fulgorem trahunt.*
Neque id mirum.
Nam, & Conchæ Matris pretium, à filio Unione.

ELOGIUM VI.

XAVERIUS IGNATIO Parente, DEO, & SOCIETATI renascitur

GENESIS.

* SApphirus Carbunculum gignit,

IGNA-

* *De Sapphiro Carbunculi Parente vide Causin. Polyhistoris Symbolici. lib. 11. Symb. 53. Dioscoride. lib. 5. c. 114. Epiphan. lib. de 12. gemm.*


IGNATIUS XAVERIUM.
Pater Europæ gemma,
Gemmam Indiæ Filium.
O Genesin pretiosam!
Sed difficilis est gemmarum partus.
Nec ex jactu * Deucalionis, & Pyrrhæ,
nascitur lapidea hæc proles.
XAVERIUS argumento sit.
Diu mentem eo plenam gestârat IGNATIUS:
Concham dixisses, rore gravidam,
At ægrè durando in *Unionem.*
Nam abortui pene propior, quàm partui
Pater,
Diu refractarium XAVERII tolerat ingenium.
Omnis IGNATII nisus, risus fit XAVERIO,
Et ros tanto labore densatus à Concha,
semper in auras resolvitur.
Nempe claritudo Azpilquetici generis,
formæ gratia, viror ætatis,
ingenij fama,
vanitati ventilabrum præbuêre.
Sed maturuit tandem pretiosa hæc Soboles.
Plaude India Gemmarum mater!
Tibi nascitur IGNATIUM inter, ac XAVE-
RIUM
pretiosissima Unio.
Hoc Cimelio, Caput Indiæ Goa radiabit,
Nec

* *Fabulam vide lib. 1. Metamorph.*

Nec deerit auribus, plusquàm Cleopatræa in-
auris
Dum pulcherrimâ Vicissitudine
Goa ab ore XAVERII docentis*,
XAVERIUS, ab aure Goæ audientis pen-
debit.
Ergo mutatus à se ipso XAVERIUS,
totus in IGNATIUM migrat.
Et ad physiognomiæ Divinioris leges,
Patris lineamenta,
Vultu præfert, ore, oculis, corde.
Emicant in frigido nuper pectore ignes
Ignatiani,
Et de Sapphiro Patre,
filius animatur Carbunculus.
Vim causticam sacra succendit Ascesis,
in qua totus in Pyropum abit XAVERIUS,
Hinc flammæ Xaverianæ,
Incendendo Orienti pares.
Quibus, ut congruum porrigeret alimentum,
fluentem ex ulcerosa Elephantiasi tabem,
pro oleo suxit.

ELO-

* *De Gemmis Cleopatræ, & absumpto centies sestertiûm valore vide Plin. lib. 9. c. 35.*



ELOGIUM VII.

XAVERII Indophori Somnium.

DRAMA.

MOrpheus suavis noctium Histrio,
Et phantastici Theatri pantomimus,
Diurnos XAVERII amores,
in theatrum nocturnum daturus;
leni soporiferæ Virgæ attactu,
XAVERIUM in somnum composuit.
Adeste, sed (*a*) Pythagoræi Spectatores.
Nam ut Morpheus:
Sic & Morphei theatra, amant silentium.
Sed vos imprimis Cardiognostices cupidi,
adeste (*b*) Momi
Et XAVERII genium,
de phantastica hac scena explorate.
Aperit, quam XAVERII modestia obturârat,
Cordis fenestram Morpheus,

Et

(a) *Pythagoræi silentio dediti per quinquennium. vide Suidam, & Zenodorum.* (b) *De Momo cordis fenestram desiderante, Deorum, ac hominum critico observatore. vide Lucian. Dialogo de hæresib⁹.*

Et acceſſa ſolis Superis adyta,
Mortalibus recludit.
Nam & ſomnia, genium ſomniantis produnt,
Et ut Coryli virgulæ,
latentes in ſopito theſauros indicant.
Ergo ad vigiles Lunæ ſtellarúmque oculos,
panditur Cortina.
Theatrum exhibet India,
Sivè ad Xaverium in Europam,
Phantaſticis præſtigijs delata:
Sive delato in Orientem,
per ſomni ludibria Xaverio.
Actores Scenæ bini.
Diei alter; alter nocti concolor.
Candidus Xaverius,
& Ater Æthiops.
Hic velut prologum daturus
humi ſtratus affligitur.
Accurrit vigil in ſopore Xaverius,
Et ſtrato Æthiopi dextram tendit.
Sed Æthiopem pene lavat, dum levat,
Nam in uno hoc Indo,
Orbis Indici appenditur pondus:
Vel Atlanti, vel Xaverio par.
Ergo novus Orientis * Atlas;
gravi huic Microcoſmo, armos ſubjicit.

* *De Atlante Cœlifero vide Natal. lib. 4. Mithol. cap. 7.*

Et compositam humeris Indiam, per Indiam
circumfert,
labore plus quàm Herculeo.
Nam impar propè tantæ moli bajulus,
anhelos rhonchos reciprocat.
Fluit per ora sudor laboriosæ quietis index;
Et stratus ante in culcitra XAVERIUS,
propè de culcitra sternitur.
Donec exterritus ad rhonchos Morpheus,
Scenæ umbratilis Cortinam reduceret.
Sic clauditur phantasticum theatrum,
stupente Solem in umbra,
Et pulverem extra Campum XAVERIO.
Sic somniant, qui amant.
Amoris hæc fabula est.
Qui quæ perdius coquit, pernox recoquit,
Et gerendorum in Sole,
in Umbra progymnasmata facit.
Sic diurna Tua XAVERI vota,
Et flammei Indicæ expeditionis ardores,
In nocturni theatri argumentum cessère.
Sed fabulæ Tuæ* Epimythion audi.
Et de nocturnis his phasmatis,
futurorum prognosticon cape.
Umbratilis hæc Scena,
Indicæ quam deperis Spartæ,
Progymnasma est.

Lapsus

* *Affabulationem.*

Lapſus humi Æthiops
Collapſam Indiæ (*a*) Theoſebiam refert,
Ater: Indicam ab Idolorum acerris,
exhibet fuliginem.
Tibi utriuſque deſtinantur Vindiciæ.
Levandus Tibi, & lavandus dabitur hic Æthiops:
ſucceſſu optimo;
Nam & abſque Archimedeo (*b*) hypomochlio, & vecte
hunc Orbem movebis.
Nec Æthiopem lavabis in hoc Æthiope
Dum è luſtricis undis, *Cœli Candidatum* trahes.
At hîc labor, hoc opus erit.
Rigabit ora decumanus ſudor,
Donec fatiſcens ſub pondere,
In Sanciano, ad immortale jubar evigilês.
Tunc decennales labores habebis pro ſomnio.
Et verè.
Nam *labor cælo præmiandus, ſomnium laboris eſt.*

(a) *Religionem.* (b) *Eſt quod vecti in levandis ponderibus ſupponitur. Ariſtot. in Mechan. quæſt.* Da ubi ſtem, & movebo terram. *Archim.*

ELOGIUM VIII.

XAVERIUS à D. THOMA Apoſtolo Prophetico Oraculo prænunciatus.

INTERPRETATIO.

(*a*) FAtidicus hic lapis, notis Barbaris incīſus,
(*b*) Dignus, quem Sixtiānis accenſeas Romæ,
Indicos characteres, & barbara ſigna, ne time:
Habes inciſæ in ſaxa Ægypti Sapientiæ
Interpretem,
dignum Athanaſiâ (*c*) Athanaſium.
Hoc ſive Oedipo, ſive Sphynge,
Novi Obeliſci arcana ſcies.
Interim & noſtrum Oedipum audi.
Sitam in (*d*) Choromandele ad Meliaporem
Columnas vides?
Pyramidem diceres tumulo Thomæo compoſitam,

Nî

(a) *De hac pyramide Xaverij adventum vaticinante. vide Bartoli Vita Xav. lib. 1. n. 25.* (b) *Sixtus. V. Papa erectis Obeliſcis Urbem exornavit.* (c) *R. P. Athanaſium Kircherum S. J. Obeliſcorum Interpretem.* (d) *Eſt Regio Indiæ Orientalis.*

Nì Thomas ipſe poſuiſſet.
Crederes Thomæ (*a*) Herculis Indici
Triumphales *metas*
Nì plus ultra progreſſus Thomas,
nullas labori Apoſtolico fixiſſet.
Ergo Myſterium accipe.
Fatidicum hoc Marmor,
Oraculum eſt Apollinis Indici Thomæ,
Qui futurorum præſcius,
XAVERIUM cecinit.
Audi arcanos Columnæ characteres,
& prognoſin adverte.
Lapis (*b*) hic, & maris, & ſuperſtitionis Indicæ
Terminalis eſto.
Quem ubi alluviones marinæ tinxerint,
Ductis quoque de Chriſti (*c*) hydragogia lymphis,
tingetur India.
His deterſâ ſuperſtitionis fuligine,
Concolores Europæ reddentur Indi.
Hæc Oraculi Epitome, hic ſyllabus,
Sic uno in lapide,
duplex opus molitus Thomas,
Neptuno, & Jovi erexit metam,

(a) *De Hercul. Columnis vide Plin. Proœm. lib. 3.*
(b) *Pyramis circa idem tempus maris alluvionem paſſa, quo Xaverius in Indiam venit. Bartoli lib. 1. Vita.* (c) *Aquæ ductu, id eſt Baptiſterio.*

XAVERIO Carceres.
Nam alluente tandem
post sæcula quindecim, columnam Oceano
Effusus de Sacris Romæ (*a*) Hydrophylacijs
XAVERIUS
More (*b*) Nili,
fœcundum Indiæ Cataclysmum fecit:
Hoc & subruta Idolorum fana,
Et detersa superstitionis fuligo:
Et maritati ad cœli segetem Campi Indici.
Plaude Roma!
Et sacras futuræ messi apothecas erige,
At Tu minima SOCIETAS JESU
Apostolicam Te speciem, ne dubita
Nam in tuo objecta Thomæis obtutibus
XAVERIO
Apostolicæ mentis Imago es.
Sed & inde in Tuum XAVERIUM,
Apostoli Indici titulos deriva;
quòd Thomæ Oraculo sit editus,
Nec ambige gemellum Thomæ Dydimo,
Nam quidquid XAVERIUS est
Apostolici *Thomæ Oraculi*,
Apostolicum *Responsum est.*

ELO-

(a) *Sunt aquarum receptacula* (b) *Nilus in Ægypto Coloni vice fungitur. Plin. lib.* 18. *c.* 18.

ELOGIUM IX.

XAVERIUS ex Europa destinatur in Asiam.

DIPLOMA.

EUropa Asiæ salutem.
Mihi Vale; Ave Tibi,
dicit harum lator, Asia.
Quis sit rogas? accipe.
FRANCISCUS XAVERIUS
Apostolicæ Romanæ Sedis Nuncius.
Hi Tituli hospitis, hoc nomen.
Qui genus? unde domo, quæris?
Joannis Jassi, & Aspilquetæ XAVERIÆ filius,
Stirpe Regum Navarræ,
suas ad extremas Orbis metas,
porrectura propagines,
in Regali Surculo.
Vide, quàm latè tendat brachia Regalis arbos.
Quid nunciet inquiris?
Malum nuncium ne time ab *Evangelij præcone.*
Amplitudinem Legati,
è Legantibus conjice.
Roma fidei Magistra, Nuncium ablegat.

Et bene.
Nam inde vox ſpargitur, ubi Verbum ſonat.
Et ut Echo Evangelica,
per Orbem Indicum ſonantiùs repercuteretur,
A Petra reſilire debuit.
Paulus III. hanc vocem ſpargit,
Dum XAVERIUM legat.
Agnoſce *Doctoris Gentium* vocem
Gentes docturam.
Tu verò gaude India!
A DEI in Terris Vicario,
ut Eccleſiæ Sole,
ſpargitur Tibi hic Radius.
IGNATIUS Vitri Cauſtici vices agit;
qui hunc radium collegit in *Punctum*.
Quod monſtravit *Obedientia*.
Per hoc *punctum*,
provehitur in Aſiam *lux Evangelica*,
Et *intenditur* Chriſtianæ *Virtutis calor*.
Nec parum debes Joanni III.
Luſitaniæ Monarchæ,
quo primùm movente
in Aſiam promovetur XAVERIUS.
Primum mobile meritò dixeris,
Quo ſidus Orientis circumagitur.
Et bene movetur à Rege;
Ut hoc ſidus, Cœlo iſti homogeneum ſcias,
Et harmonicam, inter utrumque proſapiæ
ſymphoniam. Acce-

Accedit IGNATIUS sublimis *Intelligentia.*
Dogmati Philosophico fidem facturus:
Astra moveri ab Intelligentijs.
Nam Angelico consilio Asiæ XAVERIUM destinat.
Paret omnibus, Sidus obsequens,
Retrogradum quoque futurum,
Et antiqua in (*a*) Asiæ horologijs renovaturum portenta,
(*b*) I duntaxat literam,
Astronoma ducat Obedientia.
Quæ simul vices gnomonis aget,
ut Sideris hujus regressum in Europam advertas.
Quid ultra in hoc nuncio desideras?
Multa paucis accipe.
XAVERIUS, magni Ecclesiæ Principum consilij,
Angelus est.
Tu vide,
ut in Te Cœlum Angelis cognatum,
aut inveniat, aut formet.

C5 ELO-

(a) *De Achazi horologio v. 4. Reg. 20.* (b) *Ad unum I, redire fuit paratus, ab ultimo Oriente.*

ELOGIUM X.

XAVERIUS in Indiam solvit.

(a) *HODOEPORICON*

ERgo tandem suspirati, XAVERIO aspirant favonij
Et tumente fœcundo afflatu Carbasorum utero parturitur, pridem concepta Indorum Salus.
Ita (*b*) *favonius*, & huic *Conceptui* favet.
Provehitur in vastissimos Maris Atlantici Campos,
felix Oneraria;
Argonavim dixeris,
Quæ XAVERIUM pro (*c*) Jasone vehit,
Goam petiturum pro Colchide:
Ibi vellus aureum tondebit,
De Indicis Christi ovibus, nuper lupis.
Canite suave (*d*) Celeusma Sirenes
Tu verò Typhi, hodœporicon in Commentarios refer.
Ergo sublatis anchoris,
provehitur in altum XAVERIUS,
Ad

(a) *Commentarius itineris.* (b) *Est genitalis spiritus Mundi quo plantæ reviviscunt. Plin. lib.* 16.*c.* 25. (c) *De Jasone, vide Apollonium in argonauticis* (d) *Cantus Nauticus.*

Ad ſextum idus Apriles.
Phaſelo tantæ animæ pene impari,
Quem ut inſtrueret novus hic Jaſon;
*Nauticen molitur ex ſe ipſo.
Pro Carbaſis, pectus Orbis capax expandit,
Pro ventis
Goam aſpirantia, dat ſuſpiria.
Anchoram fingit in ſe ipſo,
Dum ſpiris funis anchorarij incubans,
Navarchum, vel ſopitus docuit
Quis maritimæ *ſpei* foret *Anchora*?
Saburræ vices, agit Paupertas,
Quâ nîl ponderoſius navi XAVERIUS intulit.
Nam totam Apoſtolici Nuncij Majeſtatem,
ſe ipſo definivit.
Vilis Sotana, purpuræ loco eſt,
Triobolaris galericulus tiaram refert,
Pedum Paſtorale, rudis Scipio.
Epomidem Pontificiam, amata peregrinis,
dat penula
Nullum à ſplendore petitur mutuum,
Sola XAVERIO fæneratur Paupertas.
Quâ opulentus,
docet falli eos;
Qui dignitatum ſplendorem, Lunam eſſe
credunt,
Quæ ſinè auri, gemmarum, ac purpuræ Sole,
non lucet. Sic

*Res navalis, ejúsque tractandæ peritia.

Sic instructam classem,
Mare Atlanticum primùm excipit.
Cui vel XAVERIUS dedisset Nomen.
Cujus Charitas, Atlantæos humeros exertans
Navim mille capitum bajulam, succollabat
Nisi (a) Geryonem malis:
Qui velut multicorpor,
se unum partitur in plures,
Dum ita cunctis adest, ut non desit singulis.
Imò ex (b) Protei ingenio, in omnes se versat formas;
Nam, & Archiatrum induit, & Mediastinum,
Focarium, & Pollinctorem,
Vespillonem, & Libitinarium.
Adeò *fœcundior est gratiæ uterus,*
quàm naturæ!
Illa in uno sæpe gignit plures,
Hæc in multis quandoque nullum.
Zonam subinde torridam ingreditur,
Cui parallelam duxerat Charitas
utrâ magis torreatur,
problema esto.
Illud exploratum:
Neutrius calore absumptum (c) asbestinum pectus

Imò

(a) *De Geryone tricorpore vide Natal. Mythol. lib. 7. c. 1.* (b) *De Proteo vide Natal. lib. 8. c. 8.* (c) *Asbestus lapis inextinguibilis. Plin. lib. 37. c. 10.*

Imò nutritum potius * de Salamandræ ingenio
igneis his alimentis.
Hinc inter utrasque Solis, ac amoris flammas,
perstat in navigantium obsequio XAVERIUS,
Lætus, alacer, integer.
Sed liquantur interim Apostolici sudoris
gemmæ,
Novum daturæ Eoo Mari pretium, ac nomen.
Leget olim pretiosa hæc spolia Indica Ecclesia,
Et suas de hisce etiam Cimelijs,
jactabit divitias.

ELOGIUM XI.

Reliquum XAVERII in Indias iter.

PARALIPOMENA.

INnter has Maris Indici Ærumnas,
Bonæ spei Promontorium
suspensam tenebat, Maritimæ spei Anchoram.
Nam bona hæc spes, trepidos reddebat Nautas,
ut Synonyma sint,
sperare, & *timere* ad caput *Bonæ Spei.*
Ex hoc capite res humanas metire,
ubi optimæ spei, non rarò desperatio contigua
est. Huic

* *Plin. lib. 29. c. 4.*

Huic Vale potius, quàm Ave
dicere optabant Classiarij,
tantò à mala, quantò *à bona spe* recessuri:
Ignari,
XAVERIUM unicam classis anchoram,
Citra malæ spei periculum,
Caput bonæ spei reclinâsse in rudentibus.
Hujus potissimùm ope,
Summis Promontorij periculis, defungitur classis.
Cui ne sua deforent (a) *Alcedonia*
adverte, ut molitus sit XAVERIUS.
In Mozambici littore,
perditissimum Nautam,
Orco jam nasciturum,
Cœlo gignit, dum ad frugem revocat.
E Maritimo hoc puerperio Halcyonem adverte;
Qui edito hoc partu, mari Alcedonia invexit,
Et frænos injecit, effræni Elemento.
Disce, ut amata Nautis gignantur Alcedonia.
Tempestates, quas scelera cient, (b) Metanæa componit,
Hac Halcyone in mari nidulante,
Typhones, (c) Presteres, ac Turbines, ne time

Hâc

(a) *De his Plin. lib. 10. c. 32.* (b) *Pænitentia*
(c) *Nomina ventorum, de his lege Plin. lib. 2. cap. 48.*

Hâc arte placato Oceano, Melindam appellit,
Hîc bellum Idololatriæ illaturo,
fecuturi prognofticon triumphi,
(*a*) (ut olim Conftantino) fit Crux,
Agnofcit omen XAVERIUS,
Et fecuturis prælijs,
Chriftianum præcinit (*b*) protrepticon
In hoc Signo vinces.
(*c*) Socotoram dein Infulam luftrat
Quæ Novercam in natura experta,
Privignam fe viciffim exhibuit Matri,
ruptis naturæ legibus,
Et vitâ, cujus Matrem puderet.
Solo aloë prima hæc Indiarum ora dives,
Plus aloës, quàm mellis luxum Indicum,
habere docuit:
At fufceptâ per XAVERIUM Chrifti fide,
Plus mellis habere cœpit, quàm aloës.

ELO-

(a) *Eufeb. in Vita Conftant. lib. 1. cap. 20. 21. & feqq.* (b) *Eft fermo inftructivus, exhortativus.* (c) *Eft Infula fterilis, folo aloë abundat. vide adag. Erafmi Chiliad. 1. Centur. 8. adag. 66.*

ELOGIUM XII.

XAVERIUS appellit in Indiam.

VATICINIUM.

TAndem agoni ſuo Athleta jungitur,
Campo Miles,
ſuo Hercules ſtadio,
Theatro gladiator,
XAVERIUS Indiæ.
Patet ſuſpirata toties, novo Jaſoni Colchis,
Europæo Achilli, Troja Indica,
Novam Romam fundaturo Æneæ,
per tot diſcrimina quæſita panditur Italia.
Et tot votis optata,
Novo huic Leonidi aperitur Sparta.
Suas apud Indos reperturo * Termopylas.
Macte animo XAVERI!
audi, quæ Vates non inanis promat auguria.
In hac Colchide aureum tondebis vellus,
Ereptas inferno Draconi, pretioſas Chriſti
oves.
De hac Troja, ante decennium, triumphum
non ſperes;
Nec parvo Tibi conſtabit,

No-

* *De Leonide Rege Spartæ ad Termophylas claro vide Juſtin. lib. 2. Herodot. lib. 7.*

Novam in Indijs fundâsse Romam,
Arcem Sanctitatis Indicæ.
Multum, cum Sole, ac pulvere luctaberis,
Dum super Garamantas, & Indos,
Christi Imperium proferas.
Sed nec (*a*) sinè sanguine, hanc Spartam
tuebere,
At macte iterum animo XAVERI!
Sinè arbitris in theatrum, non prodis;
Nam effusum ad (*b*) Orchestram Cœlum,
Tuarum sibi palmarum arbitrium servat.

ELOGIUM XIII.

XAVERIUS à Goa Indiæ Capite, Apostolicos labores, auspicatur.

STRATAGEMA.

Isdem artibus, sacrum, & profanum Martem pugnare,
Et paribus utrumque stratagematis uti,
è XAVERIO Divino (*c*) Poliorcete, disce.
Susceptâ ab Archistratego IGNATIO,
D Expe-

(a) *Ictus ad sanguinem sagittâ Xaverius.* (b) *Locus in theatro Senatorum, vide Sueton. in Nerone.* (c) *De Poliorcete, vide Lipsij Poliorcetica. & Athenæum. lib. 2.*

Expeditione Indicâ,
Ad ſtratagema Scipionis (a) Africani, convertitur,
Pœnas ille, de Pœnis ſumpturus,
Carthaginem aggreditur;
In hac Urbe totam oppugnat Africam,
Et totum expugnat Hannibalem.
Adeò *Urbes Regnorum Compendia,*
ſæpe Regnorum diſpendia fiunt,
Et de una Urbe, velut de corde Reſpublica, vivit.
Ab his Polemicæ Stratagematis,
inſtructus Xavier,
Goam, Indiæ (b) Acropolin petit.
Hic eversâ vitiorum Tyrannide,
Et caſtigato Chriſtianorum Sybaritarum luxu,
prima Chriſto trophæa ſtatuit,
Et ſacræ per Orientem Militiæ, paraſceven facit.
Hæc Victoriarum Epitome.
Nam brevî ſparſa per Indos Idololatria ſubvertitur,
Sic eliſo capite, longè porrecta eliditur Hydra,
Et captâ Metropoli,
Urbes filiæ tributariæ fiunt.
Primi ſucceſſu Stratagematis,
alterum operoſius molitur

Dum

(a) *Expugnatâ Carthagine Annibalem vincit. vide Plutar. in Scipione.* (b) *Eſt Arx Urbis.*

Dum Goam, Christianæ fidei propugnaculum facit.
Nam erecto Sanctæ fidei Contubernio,
Arcem pietati fundat,
Et Equum in Trojæ perniciem utilissimam,
intra Muros provehit.
Inde generosus Christiani Tyrocinij partus,
Et auxiliares XAVERIO Copiæ.
Adverte novum in XAVERIO Davidem.
Indiam oppugnaturus, Indiam armat,
Et Goliathum, suo ipsius acinace sternit.
Nam Tyrocinium Christianæ Militiæ,
è parvulis Indis fundat,
In Umbra Tyrones erudit,
producturus in Solem Veteranos,
piè in Patriam impios,
Et amicos parentum hostes.
Sic hostibus hostes oppugnat,
Et * desolaturus Indicam Superstitionem
Indiam in se ipsa dividit.
Discite posteri
Nova belli sacri Stratagemata.
Orco bellum illaturi, pueros authorate,
Immaturus hic exercitus, Victoriam maturabit,
Nam Idololatria Goliathus est,
Quem Viri verentur, David puer obtruncat.

* *Regnum in se ipso divisum desolabitur. Luc. 11.*

ELOGIUM XIV.

XAVERII in Ora Piscaria labores.

(a) *LITHOSCOPIA.*

UT Annulum Piscatoris Petri,
Gemmis Orientalibus, ditaret XAVERIUS;
Goâ in Oram Piscariam solvit.
Hic gemmarum pretiosa vivaria,
pisces alunt,
quos aureo hamo dignos judicâsset (*b*) Augustus,
Et rursum sorberet (*c*) Cleopatra,
si cum Antonio cœnaret.
Hìc Occidentalium navium *Polus*,
Et Europææ avaritiæ Magnes,
Gemmæ sunt:
Decidua de aureo Solis curru Spolia,
Et primi Maris Eoj radij.
Huc delatus XAVERIUS;
profanam exosus,

Sa-

(a) *Piscatio gemmarum.* (b) *Augustus Imp. magnos sumptus pro rebus incertis facientes, aureo hamo piscari dictitabat. vide Sueton. in Aug.* (c) *De luxu Cleopatra, vide Plin. lib. 9. c. 35.*

Sacræ habenas laxat avaritiæ;
Nam ſpreto gemmarum Indicarum piſcatu,
Animas, gemmis nitidiores,
de Sacro flumine trahit.
Leguntur animæ Cœli Margaritæ,
de vilibus Barbariæ conchylijs;
DEUM ipſum, ad Jus (a) protimiſeos tutandum moturæ.
Plaude Roma!
XAVERIUS gemmeus Piſcator,
Piſcatores gemmarum irretit,
Et annulo Piſcatoris Petri inſerit,
gemmarum locò.
Sed & mirare Divinum Viri conſilium!
Gemmeus piſcatus, aureum poſcebat hamum;
(Nam ſolus hic tractus, aurei hami jacturam exolvit)
Hunc (b) Divina Arachne, concinnavit Charitas
Zelo animarum, velut aureo ſtamine,
de XAVERII præcordijs ducto.
Hoc inſtructus,
Oram piſcariam nudipes percurſat,
Labor exercetur improbus:
Oppida integra luſtricis aquis tinguntur,

(a) *Eſt prærogativa redimendi, vide Commentar. Juris de verbor. ſignificat. verbo* Προτίμησις (b) *Vide Natal. lib. 6. Myth. c. 22.*

Inde pretiosi animarum uniones.
Hos ut sacro imbueret splendore,
Diurnâ nocturnâque Catechesi polit.
Sitim interim, ac famem, unus hic opsonat piscatus,
Vox, & latera anhelum deficiunt,
Et tantùm non piscatui, Piscator immoritur.
Ita nempe, *æquè dira est, auri, & animarum fames*
Quas ut in turbido meliùs piscaretur;
Acheron nubem inhalavit
Inde fulmina in XAVERIUM à Badagis,
& ferreus imber sagittarum.
Harum una dum XAVERIUM sauciat.
Phlebotomum facit,
Et præfervidos Martyrij calores,
tantisper mitigat.
Sic in turbido piscatur XAVERIUS,
Et de *Mari Erythræo Carbunculos* legit.

ELOGIUM XV.

XAVERII per Oram Piscariam Miracula.

DIPLOMA.

HActenus legibus Naturæ suberat XAVERIUS,
Nunc præest. O vi-

O vices gloriosas!
Nempe *nemo gratis Naturæ obtemperat.*
Nam clypeis tandem mutatis,
suo nuper servo ancillatur.
Adeò *non excusso, sed tolerato naturæ jugo comparatur libertas.*
Sed ut publicis constaret tabulis, immunitas
XAVERII,
à DEI in Terris Vicario,
Paulo Papa III,
diploma privilegij accepit;
Quod in Ora Piscaria,
tot sigillis munivit DEUS, quot miraculis.
Evolve Lector Diploma, & vide.
Nuncium Apostolicum leges?
Angelum intellige.
Nam hæc in Cœli lexico Synonyma sunt.
Hîc primùm naturam excedit XAVERIUS.
Nam hominem exutus, Angelum induit
A quo
Nil deinceps Angelici alienum puta.
Sed absque sigillis Diplomata Græcæ fidei sunt.
Vide, quæ appenderit DEUS.
Et vel inde Papam Cœli * Chartophylacem crede,
Cujus Diplomata, obsignat DEUS.
Vix in Oram Piscariam appulit XAVERIUS,

* *Est Scrinij Magister.*

Et mulierem, lustricis undis aspersam,
partu difficili solvit.
Crederes hanc vitem,
sinè hac pluvia gemmare non potuisse.
Primum hoc Diplomati Pontificio
appenditur signum,
Quo XAVERIUS naturæ libertùs authoratur.
Imò Dominus.
Hinc nemo honoratum à naturâ XAVERIUM
neget,
Quæ fructum floris jacturâ emi solitum,
ita dedit XAVERIO,
ut pretium non exigeret.
Nam XAVERIUM Patrem fecit,
sed quem genuisse non puderet:
Sic Angeli gignerent, si gignerent.
Signo quod sequitur, Numinis Imago
impressa est.
Unde egressus nuper hominem XAVERIUS,
Nunc Angelos transilit,
Et DEUM refert.
Nam Plastrici Divinitati, junctus Symplastes
Ternos in cognatum sibi limum,
Sub mortis figlina redeuntes;
inhalatâ vitali aurâ redanimat.
Ita novus * Prometheus, Sole insalutato,
extinctum vitæ Ignem reaccendit

Et

* *Fabulam vide apud Hesiod. in Theogon.*

Et inferis non visis,
absque chely
Novam (a) Eurydicen, novus Orpheus reducit.
Tu in hoc signo, non fabulas,
sed Divinitatis (b) aposphragisma,
mirare Lector,
Quod XAVERIUS refert,
Dum mortuos vitæ redonat.
Nam *divisum Imperium cum DEO habet,*
qui morti imperat.
Tertium Diplomatis signum,
Giganteâ specie XAVERIUM exhibet
Qui Gigantomachiam cum Badagis commissurus,
in Gigantem arcanis trochleis surrigitur.
Sensit nempe angustias hospitij
Augustus hospes,
XAVERII Animus;
Hinc altiori virtute,
Giganteo Duci Giganteum figitur tentorium,
Et stringendo in Goliathum Tartareum acinaci,
aptatur vagina.
Viso hoc Gigante, velut (c) Gorgone
D 5 exan-

(a) *Vide Virg. lib. 4. Georg.* (b) *Signaculum, sigillo expressum.* (c) *Fab. vide apud Hesiod. in Theogon.*

exangües Barbari rigescunt.
Hærent pigris agglutinati vestigijs,
Et propè durantur in saxa.
Canite novam Gigantomachiam Poëtæ,
In qua *Cœli Filius Gigas*
Cœlum propugnat, Terram impetit,
spectate veram (*a*) Enceladi fabulam,
in XAVERIO
Qui jactâ Ecclesiæ Petrâ,
Sacrilegum Jovem,
de aris Indicis deturbat:
Et pijssimus Theomachus
Delubra cum Idolis evertit:
Jacet nunc sub Petrâ incestus Jupiter,
Et à Gigante XAVERIO recipit talionem,
Quem substratus Ætnæ Enceladus,
frustra molitur.
Habes authenticum Diploma India,
Quo XAVERIUM naturæ legib[9] exemptũ vides.
Hoc Petri Calamus exaravit,
signavit DEUS.
Advertis Romam Veritatis Magistram?
Mitte alia deinceps Oracula,
XAVERIUM Tibi dedit Roma
Dignam (*b*) hâc Dodonâ quercum,
(*c*) Tripodem his Delphis. ELO-

(a) *Vide Ovid. lib. 5. Metamor.* (b) *De Dodonæo Oraculo vide Strabon. lib. 7. Georg.* (c) *De Tripode. Horat. lib. 1. Carm.*

ELOGIUM XVI.

XAVERIUS ſopitus, contra impura ſomni ludibria, ad ſanguinem decertat.

MITHOLOGIA.

VEteri læſæ in ſpineo Roſetò (*a*) Veneris
fabulæ
Ut XAVERIUS ſubjiciat (*b*) Epimy-
thion,
audite Mythologi
Adonidem,
ſuas ab apri dentibus vindicatura delicias,
Venus,
Venerem exuta, Dianam induit,
Et ſive amore, ſive irâ furens,
Raptorem perſequitur.
Adeò *occidui Adonides & Veneres armant!*
Nec mirum.
Nam *formæ occidentis flamma,*
more occidui Solis,

ut

(a) *Fab. vide apud Natal. lib. 5. Mythol. c. 16.*
(b) *Affabulationem.*

ut major apparet, sic magis urit.
Ergo Adonidem servatura,
belluam impetit.
Sagittas è pharetra promit Cupido,
Harum an Adonis, an aper sit scopus?
Problema esto.
Nam *Venus uno eodemque astu, & amat, & furit.*
Sed dolor, ut assolet, jungitur amori.
Nam calcata inter insultus Rosa,
fœdos Veneris amores,
aculeo perstringit,
dum pedem lacerat.
Excipit defluum cruorem castissimus flos,
Et ad lascivi Cruoris contactum, erubescit.
Audistis fabulam Mythologi?
Apodosin accipite.
XAVERIUM, è Parisinæ Academiæ topiarijs
legerat IGNATIUS
pro Rosa florum Regina, Regum florem,
Hunc Divino consilio Indiæ destinat.
Sive ut inter (*a*) allium Idololatriæ Indicæ,
Virtutis odorem intenderet,
Sive ut impuras scelerum (*b*) Cantharides necaret.

At

(a) *Rosa inter allium odorem intendit. Jacob. Masen. lib. 6. Spec. c. 63. n. 6.* (b) *Et Scarabæos necat, idem cap. 50. n. 23.*

At Venus, & hanc ſibi Roſam conſecratura,
Dignum Cœli Topiarijs florem,
Impuris * Adonidis, & Priapi hortis deſtinat.
Ergo XAVERIUM defloratura,
Diurnis laboribus feſſum;
Nocturna Lena aggreditur.
Circumvolat caſtiſſimum florem,
turpiſſima Cantharis,
& impuras manus, illibatæ pudicitiæ,
injicere ſatagit.
Sed icta ſecundò, ſapuit.
Nam XAVERIUS Apoſtolico rigore horridus,
inter rubos, & ſentes cilicinos,
more Roſæ effloruerat.
Senſit inimicos aculeos Venus,
Et Adonidis in XAVERIO memor,
ſauciam manum retraxit.
Sic cæſæ Veneris cruore, purpuraſcit Roſa,
Dum XAVERIUS, erumpente è naribus cruore,
toto vultu erubeſcit.
Miſcet purpureum colorem Verecundia,
Et velut labarum explicat in genis.
Spem hoc pacto induciarum præcidit cum Venere
Et ſuâ ipſius purpurâ Victorem XAVERIUM veſtit.

Ita

* *Horti Lupanares erant, vide Natal. Com. lib. 5. Mythol. c. 16.*

Ita nempe, *Venus vinci, absque Victoris rubore non potest.*

Hanc purpuram si ambis Lector
Artus rebelles, cœlesti rigore stringe,
Genas pingat Verecundia
Sic de cruore Veneris, ad spinas cæsæ,
purpurasces Rosa.

ELOGIUM XVII.

XAVERIUS D. Thomæ Sepulchrum Meliapore invisit.

DIGRESSIO.

DEbes id quoque Virtuti Tuæ,
gloriose Indorum proto-Apostole Thoma;
Quod apud Indos post fata vivis.
Et ubi suam cæteri terminant genesin,
Tu (*a*) palingenesiam ordiris,
in Tumulo,
Et plures esse in Asia (*b*) Phœnicas doces,
qui de suis Cineribus vivant.
Hujus tumuli fama, Gangem & Indum transvolans

Te

(a) *Regeneratio, alteri natales.* (b) *De Phœnice vide Plin. lib.* 10. *c.* 2.

Te vivere canit.
Ad cujus ostium,
pro ferali Cupresso, laurus viruerit.
Ita vivis suppar Phœnici,
clarior *post cineres.*
Ipsa quæ vivum oderat,
Mortuum adorat India.
Nam qui cruentam (*a*) Tomyrin senseras Indiam vivus,
Habes extinctus (*b*) Artemisiam
Felix in hoc Tuo *cariei* Regno Mausolus!
Cujus sanctissimos Cineres,
Mausolæo Meliaporæo conditos,
mæsta libat quotidie India, dum basiat.
Huc è Sole, ac pulvere digreditur XAVERIUS,
sequere Lector,
Et sacros cum Thoma congressus observa.
Ergo adest.
Sive ex hac Cineris Thomæi favilla,
Apostolicos aucturus ardores:
Sive (*c*) Achillis hujus Indici coronaturus tumulum,

No-

(a) *Tomyris Scytharum Regina Cyri Regis caput, in utrem sanguine plenum conjicit. Justin. lib. 1.* (b) *De Artemisia affectu in Mausoli cineres. vide Gellium. lib. 20. Vitrou. lib. 2.* (c) *De Alexandro tumulum Achillis coronante, vide Ælian. lib. 12. de var. histor.*

Novus Alexander,
Sive detracta jam Indicæ ſuperſtitioni ſpolia,
De Thomæi ſepulchri tholo appenſurus.
Nec abſque ſeptendiali jejunio opus aggreditur;
ignarus, quòd ceromate ſecuturis cum Orco luctis,
ungeretur Athleta.
Nam *jejunia mentium ceromata ſunt*,
quibus ad Orci prælia ungimur.
Sic comparatus Indorum Apoſtolus,
Indorum Apoſtolo jungitur.
Neſcias, ad monadem hîc videas, an dyadem:
Adeò os humeróſque Thomæ ſimilis XAVERIUS!
Dyadem tamen, *Dydimus* evincit Thomas,
Nunquam magìs Dydimus,
quàm cùm gemellum ſibi adſtare videret
XAVERIUM.
Quis hic amborum ſenſus?
Similitudo Mater Amoris,
ad *Dydimi* tumulum gemellos enititur,
Amorem & *Gaudium*.
Excipit uterinos fratres XAVERIUS,
Et totus ad Thomæ aſpectum amat; & gaudet.
Hæret perdius, & pernox,
ad amatas exuvias,
Et ut votiva Lampas,

Tu-

Tumulo Thomæo affigitur.
At Orcus, ex hac duorum Indiæ siderum coitione,
Secuturæ Idolorum cladis,
prognosticon fecit.
Ergo Stellarum Synodum disturbaturus,
impurus Tenebrio,
XAVERIUM adoritur.
Quòd servam nuper Deorum Indiam,
pileo donâsset Christianæ libertatis
(*a*) Plagij postulat, & convincit
Ergo de lege plagiaria,
Plagij reus, plagis excipitur.
Subjiciuntur fustuario Atlantæi lacerti,
Et Caput
tantorum pro DEO moliminum (b) Prytanæum
sacrilegè violatur.
Ingemiscit Sanctissimus plagiarius,
Quod violato (*c*) asyli jure,
æquissimi plagij, iniquissimas pœnas,
ad aras luat.
Nam pro aris tantùm suetus pugnare,

E non

(a) *Plagij fit etiam reus, qui servo fugam persuadet à Domino.* (b) *Locus ubi publica consilia agitantur.* (c) *Olim rei ad aras Deorum habebant asylon, unde abripi nefas. Virgil. lib.* 4. Talibus orantem dictis, arasque tenentem, *&c.*

non focis,
Jus asyli ad aras meruerat.
Ergo MARIAM Cœli Astræam inclamat,
& Sanctissimæ Themidos jura appellat.
Ad hujus nomen enervati Tartarei Lanistæ,
Ab aris, ad haras dilabuntur:
retracti tamen ad tribunal,
Astræâ Judice, Thomâ teste,
XAVERIO accusatore.
Ergo in sacrilegos fertur sententia
Ob jura asyli violata,
Ob profanata Thomæi Tumuli adyta
Ob læsam Apostolici Nuncij Majestatem
Ultori XAVERIO traduntor.
Nec gravius in stygios Verberones,
fulminari poterat.
Nam XAVERIUS resumptis tandem viribus
Apostolicâ ira flagrans,
Primam sacro furori victimam,
Malacam destinat.
Hîc cladem Corporis, Deorum clade,
Membra livida, hostium livore,
Violatum aræ asylon.
Subversis delubris expiat.
Nemo facilè majori voluptate,
reddidit Talionem.

ELO-

ELOGIUM XVIII.

XAVERIUS Malacæ pudicitiam restituit.

PARALLELA.

SPhæricam Orbis figuram,
Non tam è tereti Terræ globo,
quàm ex rerum * pericyclosi
Metimini Geometræ
Utroque hoc torno
rotundatur in Sphæram Orbis
Fluunt tempora, ut refluant,
& gerenda geruntur.
Geminos quondam Duces
Orbi Hebræo dedit Asia;
Moysen, & Josue.
Eosdem Orbi Indico redonat in XAVERIO.
Sic vetera instaurat jam vetulus Orbis,
Et sejpsum, ad seipsum circumagit.
In hoc tamen dispar à se ipso,
Quòd sparsam in plures virtutem,
recollegerit in uno;
Dum unum Malacensem XAVERIUM,



* *Rerum in Orbem Circulatio.*

Geminis Palæstinæ Ducibus æquavit.
Ductam ad invicem parallelam,
Observa Lector.
Mollissimum Palæstinæ Cœlum,
Ingressus Virgineus Dux Josue
Ceu grando inter æstivos furores,
magis induruit.
Nam inter medios Luxuriæ (*a*) Asiaticæ calores,
(*b*) Virgineo gelu ita concrevit,
Ut in aquas Veneris consanguineas,
solvi non posset.
Hinc ad centesimum decimum solem,
vividus, ac integer Josue sanguis
Illustri posterorum documento,
Distracto in plures sanguine, annos contrahi,
Et stipitem ramorum copiâ exhauriri.
Jam parallelam vide.
Malacam ingressus XAVERIUS,
Oceani Orientalis Insulam,
Quondam Martis Thraciam,
nunc Cyprum Veneris reperit.
Nam Insula velut Maris Eoi spuma,
ipsa Climatis temperie fota;
nî alibi natæ,

Pa-

(a) *Asiam luxuriæ Patriam vide Cic. pro Muran.* (b) *Virginem mansisse Josue complures è PPb⁹ sentiunt. vide D. Hieron. in libris adver. Jovin.*

Patriam dediſſet Veneri.
Iſta plerumque (*a*) Marti exauthorato
ſuccedit Venus,
Quis id ambigat?
Nam (*b*) *Thracia Cyprus confinis eſt.*
Ab hac ſpumoſa Sobole
copioſa turba Nepotum,
Sardanapali, & Thaides,
velut nati de ſtagno Pythones.
Huc delatus XAVERIUS,
Mollem ſpumis Cyprijs Inſulam,
ſolidavit in Concham,
Non (*c*) Veneris, ſed pudicitiæ vectricem.
Par Aſiatico Duci Joſue,
Qui de (*d*) Salamandræ ingenio,
inter ignes Palæſtinos illæſus,
XAVERIUS (*e*) asbeſti æmulus,
inter humentes (*f*) Aphrodiſiæ ſpumas,
purus arſit.
Sic Aſiæ Lupanar Malaca,
XAVERIO Vindice,

E 3 pene

(a) *Annibal Campanas delicias Cannenſi triumpho ſubnectit vide Flor. lib. 2.* (b) *vide Theatrum Ortelij.* (c) *Venus Conchâ vecta eſt vide Natal. lib. 2. Myth. c. 1.* (d) *De Salamandra inter ignes V. Plin. lib. 10. c. 67.* (e) *De asbeſto lapide, vide Plin. lib. 37.* (f) *Aphrodiſia cognomen Veneris quòd è ſpuma ſit orta.*

pene abijt in Parthenonem,
quem vel (*a*) Veſtales incolerent.
At parallelos hactenus Duces
una obliquat ætas;
Nam è centum decem annis Joſue,
(*b*) XAVERIUS ex æquo dimidium tulit.
Sed & hic parallelam nota.
Cœli faſti, geſtis notantur, non annis.
Et *Virtutis Sphæra, ut ſupremi Cœlorum Orbes,*
Solis ac Lunæ curſus, prævertit,
Dimidius Joſue, ætate erat XAVERIUS:
Geſtis integer.
Nam quæ bini Hebræorum Duces
egiſſent pro Synagoga,
Unus pro Eccleſia XAVERIUS geſſit.

ELOGIUM XIX.

XAVERIUS Victoriam de Acenis impetrat.

PARALLELA.

NOvas (*c*) Polemicæ technas,
è gemi-

(a) *Veſtales Virgines à Numa Pompil. Veſtæ Sacris, & igni cuſtodiendo dicatæ Liv. lib. 1. Cic. 3. de legib.* (b) *Moritur Anno ætat. 55.* (c) *Ars militaris.*

è geminis Asiæ Ducibus Mose, & XAVERIO,
discite (*a*) Eupolemi
Et quo pacto belli alea feliciter cadat,
accipite.
Tu interim Lector, solutam tituli fidem,
Et alteram inter utrumque parallelam,
observa.
(*b*) Belli Amalecitas petiturus Moses,
Spreto Bellonæ Agonali, Campo;
Montem petit.
Inde in hostes pugnaturus,
semet in preces recolligit,
More grandinis
quæ inter alta nubium densatur,
ut feriat.
An ut memor aqueæ suæ Originis (*c*) Moses,
Ceu vapor ab aquis exhalatus,
in alto spissescat in Nubem,
Unde in hostes fulminet?
Ergo classicum canitur,
stringuntur Judæorum enses,
sed unius Mosis manibus.
Quibus sublatis sternuntur hostes,
Cadentibus surgunt.
Adeò *Victoria momenta preces librant.*

(a) *Felices Bellatores.* (b) *Exod. 17.* (c) *Moyses interpretatur attractus, subintellige de aquis, vide Exod. 2.*

Et in bellorum æquipondio,
alterutri lanci, momentum imprimit Oratio!
Sic pugnate, sic bella conficite Eupolemi
In erectis in Cœlum palmis, palmas ferite,
futuri palmarum messores.
Hæc Mosis, hæc XAVERII messis.
Extorserat Malacam Mahometi Lusitania,
& unà quæstuosissimi Maris Imperium.
Læsæ hoc pacto geminæ Mahometis pupillæ,
Avaritia, & Superstitio.
Excussa simul iræ Scintilla,
unde armorum secutum incendium.
Sic, & læsæ pupillæ scintillas spargunt.
Ergo vindictam spirans Acenus Rex,
sexaginta navium classem cogit,
Et Lusitanos repetundarum postulat.
Hi octo ægrè cohærentia navigia,
cum centum Octoginta Epibatis,
furenti objiciunt
proh! quantillam manum,
nisi libraretur à XAVERIO!
Nam hunc Mosen, huic Amaleco,
objecit Malaca.
Ergo altum miles, XAVERIUS alta suggesti
petit.
Stupete prodigia posteri!
XAVERIUS pugnam, quam sublatis mani-
bus ciet,
vultu refert. Nam

Nam tota belli longè diſſiti facies,
in faciem XAVERII migrat.
Et è vultu utriuſque Fortunæ,
vultus XAVERII fingitur.
Repercutitur ad ejus aures fragor Machinarum,
Et cruentum pelagus in ore XAVERII,
ut iris in nube refringitur.
Sed Majora audite.
XAVERIUS, & militum ſarcinas ſervat,
& militem ducit.
eminus pugnat, & cominus,
fit oculatus pugnæ haud viſæ teſtis,
Victoriæ Nuntius,
qui Malacâ pedem non extulit.
Illud maximum prodigiorum,
quòd ſuis tandem manibus, ut alter Moſes,
bellum conficit.
quibus è ſuggeſto levatis,
trophæa levat Luſitaniæ,
& hoſtes dejicit.
Nempe, *ut ferias, manus attolle,*
& tantò altiùs, quantò graviùs feris.
At Tu Romani Pater Imperij, * Juli,
Tuum his auditis deinceps occantare deſine;
Veni, Vidi, Vici.
Mirare Victorioſiorem XAVERIUM.
qui *nec venit, nec vidit, & vicit.* ELO-

* *Vide Sueton. in Cæſare.*

ELOGIUM XX.

XAVERIUS appellit in Japoniam.

TITULI.

SIſte curſum XAVERI!
Ultimam Orbis Thulen tenes,
& mundi metam, Japoniam!
Non plus ultra, niſi minùs ultra velis.
Nam ultra (a) antipodas non itur, ſed reditur
Macte animo *Cœleſtis Geometra* XAVERI!
Jam toto terræ hemiſphærio
ab Europa ſejungeris.
Sphæram perfecturus,
(b) ad primum Ignatiani Nominis Elementum.
Nec plus IGNATII requiritur,
ut obtemperes.
Jam antipus Europæ ſtas,
Et Coſmodromas plantas,
(nì adiaphana Terræ moles obſiſteret)
Europæis oculis, è diametro obvertis.
Vide-

(a) *Japonia Europæ ferè antipus. vide Bartoli in Vita S. Xav. & Maffeium lib.* 12. *hiſtor. Indic.* (b) *Vide Bartoli in Vita.*

Videte *Geometricos* XAVERII *pedes* Geographi,
Et amplitudinem hemisphærij Terræ,
hâc regulâ metimini.
Dabunt *hi pedes* passuum millia,
(*a*) Europam inter ac Japoniam,
quatuor, & viginti.
Et altimetra hæc Scala,
antipodum distantiam monstrabit.
Macte animo Sol Orientis XAVERI!
qui novâ Eclipticâ, ab Occasu in Ortum progressus.
Nunc in Auge Japonico stas;
Et plenum Apostolicæ Virtutis meridiem accendis:
Inde Idola profligata.
Ex Solis utique ingenio
quo crescente Umbræ decrescunt.
Inde calor Virtutis,
per Japonicas hyemes sparsus:
Sed & mota per antiperistasin tempestas,
à frigido Bonziorum Aquilone.
Hinc lapidea in XAVERIUM grando.
Sed more Solis,
grandinantibus nubibus altiorem.
Macte animo (*b*) Magnes Orientis XAVERI!
qui

(a) *Vide Bartoli in Vita.* (b) *De vi Magnetis vide Plin. lib. 36. c. 16.*

qui è Magnetis ingenio,
ad frigidos Japoniæ Triones,
ita verteris;
ut socios exempli Magnetismo, eodem trahas.
Sed non absque consueto Magneti delectu
(*a*) Dum ferream Sociorum virtutem exigis,
Vestigijs Tuis idoneam.
Sic trahitur ferreus Spinola,
Magnes & ipse futurus posterorum.
Hic ut Virtutem posterorum tractivam
servaret integram;
De Magnetis ingenio,
(*b*) Intra busti, ac cinerum Scobem,
de exusto corpore defluam,
recondi voluit.
Sic trahitur (*c*) Mastrillus ad Japonas,
Cui pro acu nautica,
Index Japoniæ XAVERIUS fuit.
Sic alij trahuntur.
Sic vos:
quos ferrea Virtus, ad incudem patientiæ
malleavit Socij,

Ad

(a) *Vide lib. 5. Novar. Epist. S. Xav. Ep. 11. ubi ad Ignatium sic. Arbitror necessarium destinari huc à Te, Viros præstantes, & supra vulgarem modum virtute ac doctrina præditos.* (b) *Magnes Virtutem ferri tractivam conservat in ferrea Scobe.* (c) *Mastrillus Xaverio favente venit in Japoniam.*

Ad magnetem Xaveriani exempli,
ab Europæ avulsi delicijs,
ad rigores Japoniæ avolatis.

ELOGUM XXI.

XAVERIUS Christi Fidem primus Japoniæ infert.

EMBLEMA.

HAbet hoc vitij genus Mortalium,
quòd Majorum Virtutes glaciei,
Vitia saxis incidat.
Hinc *scelera cum saxis durant*
Virtutes cum glacie fluunt.
Et unà Virtutis memoria.
Ne sic dilaberetur XAVERII, Virtus,
provida cavit SOCIETAS JESU.
Dum incisum Cedro Xaverianæ Virtutis Emblema,
hoc loco fixit.
Stabit vermiculatum hoc opus,
à vermibus immune;
Nam nec Cedrus Arborum,
Nec Virtus animorum Regina,
blattis, ac tineis pendunt vectigal.

Acce-

Accede Viator.
Et incisam immortali trunco XAVERII gloriam,
Oculis subjice.
Vides effigiatam in Cedro Urbem?
Japoniæ Ectypon est.
Hunc Terrarum limitem, & Orbis calcem,
Stygius Architectus
Idololatriæ Acropolin fecit.
Sic fundatur Impietas.
Virtus medium: Scelera extremum occupant.
Et Improbitas, ut limitaneus lapis, Orbem definit.
Hanc adeò dissitam superstitionis arcem,
prima exploravit (*a*) Philargyria.
Nam detecta primùm à Lusitano Institore Japonia,
Nautices non imperitam docuit avaritiam.
Cui Nauticus Magnes habendi Cupido,
ad argenteos (*b*) Japoniæ Triones
proram obverterat.
At contra XAVERIUS,
Et suum secutus Magnetem,
MAIOREM DEI GLORIAM,
Japoniam non quæstûs profani:
Sed Christianæ Virtutis Emporium fecit.

Sed

(a) *Avaritia.* (b) *Japoniam argenti feracem vide apud Bartoli in Vita Xav.*

Sed jam oculos ad Emblema reflecte.
Cernis emicantem ſuper Urbis Mænia Heroëm?
XAVERIUM conjice,
(*a*) è murali Corona, quam gerit.
Hoc ille primipilæ Virtutis decus
è lege Poliorcetica tulit.
Nam primus inſcenſis Japoniæ mænibus,
Crucis labarum explicuit.
Jo Triumphe! io Victor! Jo Pæan!
accine gloriæ Xaverianæ buccinatrix fama!
Tu verò ſparſa per Orbem SOCIETAS JESU,
Ad hanc gloriæ Apoſtolicæ cotem,
Virtutem æmulam acue.
Preme anteſignani Tui veſtigia
ſi pares triumphos amas.
Nam *honor Virtutis pediſſequus,*
alienam non rarò Virtutem pediſſequam facit.
Vos verò, quos Orbis ſuſpicit (*b*) Hieroglyptæ,
Cedrino huic Emblemati,
quam poſteri legant Epigraphen incidite.
XAVERIO JAPONICO.

Quòd

(a) *Muralis eſt Corona, (ait Gellius. lib. 5. c. 6.) quâ donatur ab Imperatore, qui primus murum ſubijt, inque hoſtium oppidum per vim aſcendit. vide etiam Lipſium de Milit. Rom. dial. 17.* (b) *Sunt Ægyptij, qui primi Hieroglyphica invenerunt.*

Quòd inſcenſis Japoniæ Manibus,
Militantis Eccleſiæ ſigna fixerit primus.
Meritos Coronæ Muralis honores gratulata,
Dignam Cedro Virtutem,
Cedro inſculpſit,
ſecuta Ducem Legio,
Societas JESU Japonica.

ELOGIUM XXII.

XAVERIUS in Japonia *(a)* Polygloſſus ab *(b)* Heteroglosſis auditur & intelligitur.

POLITICON.

(c) C*Oncordiâ res parvas creſcere*, è XAVERIO,
Diſcordiâ maximas dilabi, è Nembrodo diſcite Politici.
Giganteæ (*d*) Turris, Giganteus Molitor Nembrod,
Molem Olympo æmulam decernit.
Ideam, Architectonices non imperita,
exhibet ſuperbia.

Et

(a) *Multarum linguarum* (b) *Sunt populi diverſa lingua.* (c) *Vide Sententiam apud Salluſtium.* (d) *Gen.* 11.

Et in superba Nembrodi mente,
Superbæ structuræ exemplar delineat.
Sic ad prototypi mensuram, ectypon decernitur;
Quæritur par moli area,
in Campis Sennaar:
Jacitur pene altera Turris Babel in fundamenta,
Et tantæ arbori ferendæ,
radices aptantur, & truncus:
Tellure suffossâ prope fatiscente,
Nam ut abortiva hæc proles, in lucem prodeat,
Magnæ Matris alvus exenteratur.
Sic par Olympo moles surgebat,
Dum harmonia linguarum Operis accineret.
*Thebas dixisses,
absque Symphonia Idiomatum, non surrecturas.
His confusis, confunditur Nembrodi labor,
Inde Operi,
à linguarum, & Nembrodi *confusione*
Babelis Nomen.
Discite discordiæ dispendia Politici!
At Nembrodo fortunatior
Architectus XAVERIUS.
Hìc Turrim Japonicæ Ecclesiæ erecturus,

F De

* *Vide Natales Mythol. lib. 8. c. 15.*

De Basilico Ecclesiæ Romanæ Augustali,
Ideam sumpsit.
quod basi petrinæ innixum,
ad consonum Apostolicarum linguarum dode-
cachordum
ceu ad Lyram Amphionis surrexerat.
Huic prototypo,
ut suum conformaret Ectypon XAVERIUS,
Æternaturam molem,
avitæ fidei Petræ superstruit.
Vices lapidum obeunt,
Dura proles Deucalionis,
duri Japones
At improbo ædilis labore,
tandem aptantur in fabricam.
Assurgit, ad Orthodoxæ fidei *Canonem*
Sacra moles
Et ne vel tantillum à recto declinet labor,
Unicam Cœlestis Architectonices bolidem,
structuræ admovet
Majorem DEI Gloriam.
Una ad operis Coronidem deerat,
Harmonia Linguarum.
ad quam Japonicæ hæ Thebæ assurgerent.
Ergo ne Babelem strueret XAVERIUS,
mirabili Idiomatum symphonismo,
fecêre Superi.
Nam XAVERII sermo
bar-

barbaris auribus, ut Organo (*a*) hydraulico
infusus torrens,
inæquales aurium Tubos ita ferijt,
ut alienigenam Sonum,
pro Indigena quisque exciperet.
Ita discors linguarum concordia,
è dissono, & consono coalescens,
structuræ Ecclesiæ Japonicæ accinuit.
Ad hanc Lyram,
Molem suam erexit XAVERIUS,
Damno Nembrodæo cautior:
Cujus machina, ad linguarum dissonantiam,
ut Choreæ ad ruptas Cytharæ chordas consti-
terat.
Discite iterum pericula discordiæ Politici.
Concordiâ res parvæ crescunt.
Et, vel linguarum *discordiâ*
Maximæ dilabuntur
Nexu pene fatali
(*b*) Nam linguis discordibus, corda facilè dis-
cordantur,
Et per venam, linguæ, ac cordi conterminam;
velut per tubum,
facilè meat discordiæ pestis.

(a) *Est Organũ ex aquarũ artificijs cõstans, de quo vide Kicher. in Musurgia.* (b) *Venam esse linguæ, ac cordi conterminam, docet Andreas Wesalius, in Epitome libror. de humani Corporis fabrica cap. 4.*

ELOGIUM XXIII.

XAVERII prodigiosum in Elementa Dominium.

* EXEGESIS.

PAucos Elementorum juribus eximunt
Superi,
pauciores præficiunt,
quibus & Reges tributarios fecêre.
Quorum aurei Orbes,
intra unam Orbis Politici sphæram circu-
lantur,
Nec ultra ad Elementarem assurgunt.
Hinc absque discrimine,
Et Reges ignis vorat, sorbent maria,
Terra glutit, aër necat.
Eorum est hæc immunitas,
Quos gratiæ nobilior Regibus prosapia,
vocavit ad pileum.
Hi elementari licèt prognati parentelâ,
genitoribus imperant,
Et principibus rerum omnium Principijs
principantur.
Inde Thaumaturgorum nomen, Dignitas,
Fama. Unum

* *Enarratio.*

Unum ex his naturæ libertum,
imò Principem, accipe XAVERIUM.
Dudum illi manumiſſionis Diploma,
ſcripsêre Superi
Tot firmum ſigillis, quot ſignis.
Hoc ille non *ad pileum* vocatur, ſed *Coronam*.
Nam Sphæræ Elementaris Thaumaturgus
Præſes,
Leges Elementis præſcribit.
Sic nempe de Virtutis Culmine,
ad Thaumaturgi Culmen aſcenditur.
Et *paſſu eodem Virtutum Elementa,*
Et Elementorum Virtutem tranſilis
Sed jam prodigioſam naturæ (*a*)ataxiam,
Xaveriano nutui ſubjectam,
ſtupete Philoſophi.
Primas voraci Elemento dedit Leges *Igni*,
(*b*) Pamphagus hic Urbium decoctor
abſumpto jam *Ucalegonte*
Æneam ſervare cogitur.
Sic medias inter epulas
Unîus Domunculæ offâ, veſanæ fami litat,
XAVERIO (*c*) Modimperatore
Aliàs correptis jam ædibus,
uno XAVERII *Satis*

(a) *Diſordinationem.* (b) *Omnia vorans* (c) *Eſt Sympoſiarcha, qui modum ponebat Epulis. Varro lib. 20.*

intra dentes famem cohibet,
Et rabidam ingluviem castigaturus:
à *proprijs cineribus, dies esuriales* orditur.
Sed & *Aër* uni Cœlo subjectus,
XAVERIO subjicitur.
Canite Æolum, sed citra fabulas Poëtæ.
Cujus nutui exlex Elementum obtemperat.
Nam jubente XAVERIO,
venti velis, non vela ventis aptantur.
Quin vel Orpheum inter malorum sylvas,
vel inter Delphinas Arionem æmulatus,
Turbulentum aëris Elementum,
ad leges Musicæ (*a*) pneumaticæ attemperat.
Organi vices, Oceanus subit;
Venti, ut Maris folles, organum animant,
Favonius, & Japyx.
Cæteri Maris Cacophonasci,
(*b*) Ecnephiæ, Typhones, Exhydræ, & Presteres,
ad imperium XAVERII silent.
Sic ad harmonicam auræ (*c*) Eucrasiam,
subsiliunt rates,
Et læta, Chorago XAVERIO, explicant aplustria.
Sed nîl Maris Imperio Divinius!
Refluus hic (*d*) Megacosmi sanguis
non

(a) *Est quæ flatu constat.* (b) *Sunt nomina ventorũ turbulentorũ.* (c) *attemperationẽ.* (d) *Magni mũdi.*

non minùs ac (*a*) Microcoſmi,
ſuos patitur æſtus.
(*b*) Luna Caniculæ loco calores ciet.
Quâ creſcente, ut oculi (*c*) Cynocephalo,
Sic & Mari creſcit furor.
Inde Oceani paroxyſmus,
Et ſonticus pelagi Morbus, Tempeſtas.
Huic vel unus Crucis Xaverianæ contactus,
Medicinam facit.
Nam illico iratam reſorbet ſpumam
Phrenetica hæc bellua,
Serenatur Cœli, ac refractus Maris oculus Sol,
Halcyone jam ſecura nidulatur,
Et lætum Typhis canit celeuſma.
Ita ſanitati inſanum redditur Elementum,
Æſculapio XAVERIO.
Tandem & Tellus imperata fecit.
Nam Matrem exuere juſſa,
Novercam induit,
Impios naturæ privignos caſtigatura.
Ergo ad XAVERII vocem Terræ uterus rumpitur,

(a) *Parvi Mundi.* (b) *Lunam æſtuum ac Tempeſtatum Maris cauſam eſſe, docet præter Plin. lib. 2. c. 97. Athan. Kircherus in Magno opere Mundi ſubterranei.* (c) *Eſt animal cui creſcente Luna oculi creſcunt, decreſcente minuuntur, Pierius in Hierogl. lib. 6. c. 2.*

Matris viscera nudantur
Rebelles DEO gigantes Orco genitura, non
Cœlo,
nî resipuissent.
Inter hæc Terræ fatiscentis tonitrua,
Terræ filios, velut Cerva, (*a*) Cœlo genuit.
Nam *metûs rigore*
partus Cœlo gignendi subinde maturantur,
Quos amoris nimius Calor abortivos fecisset.
Habes XAVERII prodigia Lector,
Abi, & Tibi impera;
Sic quatuor Elementis,
Thaumaturgo major imperabis.

ELOGIUM XXIV.

XAVERIUS in Mari Thaumaturgus.

(b) *THALASSIARCHIA.*

NOvum Thalassiarcham XAVERIUM
præ (*c*) Venetorum Duce
suspi-

(a) *Cervæ tonante Cœlo territæ gignunt, vide Barrad. Tomo II. Comm. lib. 2. c. 14.* (b) *Maritimum Imperium.* (c) *Dux Venetiarum injecto annulo quotannis Adriam sibi desponsat; vide nostrum Radawin arte Orat. n. 270. vide etiam Cornel. in c. 23. Isa. v. 10.*

suſpice Italia.
Hic Adriatici Maris, ille Eoi Sponſus:
Hic annulo, ille æneâ Christi icone,
ſponſam dotat,
Et Maritali Imperio ſubjicit.
Sed fide diſpari.
Nam Adria, ſponſalitiâ fide violatâ,
interdum & Venetos mergit:
Eoum Mare,
vel inter adverſa Naturæ Imperia,
in fide XAVERII ſtat.
Vide prodigioſæ fidei ſpecimina.
Lapſa fortuito è XAVERII manibus in mare
Crux,
Cancrum Regni Maritimi Civem,
Urinatorem reperit.
Hic * Maris Principem XAVERIUM vene-
ratus,
Sacrum Simulacrum refert.
Nec abſque reciproco XAVERII favore.
Nam Cancri fidem in poſteros miſſurus,
Vexillatam Crucem in dorſo,
velut Scuto Gentilitio geſtare juſſit.
Inde Crucigera Cancrorum propago.
Sed accipe Majora.
Procul diſſitis, & pluribus naufragis
jam geminatus adeſt XAVERIUS:

* *Vide hiſtoriæ ſeriem apud Bartoli in Vita.*

Ut Geminos (*a*) Tyndaridas in uno notarent
XAVERIO,
cui ſalutem deberent.
Jam procellas, ventos, fluctus,
abſque Æolijs catenis, & Neptuni tridente
compeſcit,
& verbo cicurat.
Inde Æolo, Neptunóque neglectis,
Rei Nauticæ Numen, ſalutatur XAVERIUS.
Hunc certatim Navarchi prenſant,
Quin & malè cohærentibus navigijs,
Uno inſtructis XAVERIO,
Gazæ Indicæ creduntur.
Adeò ſecura vehuntur navigia
quibus ponderoſa virtus, Saburræ locò eſt.
Sed & Mare Sinicum,
perpetuis Ventorum prælijs infame
(*b*) XAVERII Imperio, arma poſuit.
Pacis ſequeſtra,
Tum Lipſana XAVERII, tum Effigies
Ad cujus è malo appenſæ conſpectum,
Velut ad Cynoſuræ radios,
ſternuntur æquora, cadunt procellæ,
venti ſilent.
Sed & Deſpoticam XAVERII Thalaſſiarchiam
vide. (*a*)Hanc

(a) *Sunt Gemini, propitia Nautis ſidera.* (b) *De tranquillato hoc mari, per Xaverij Corpus, hàc transvectum, vide Bartoli in Vita.*

(*a*) Hanc pertinax Scopulus sensit
Dum ad solum XAVERII nomen diffractus
(*b*) *Virum saxeum in Xaverio* reperit.
Audite prodigium!
Raptata ad Scopulum navis,
XAVERII exuvijs dives,
spargenda fuerat in frusta,
nî XAVERIUM vexisset.
Ad cujus à Navarcho prolatum Nomen,
mille fluctibus indomita rupes,
uno cariosæ Carinæ impactu dissilit.
stupente vicissitudinem Neptuno;
Cui naves in scopulos,
scopuli in naves mutati,
pro naufragio, scopulifragium exhibuêre.
Sic scopuli duritiam,
Sic Batavorum Pyratarum audaciam fregit.
En novum Imperij Maritimi portentum!
(*c*) Ne Roma Orbis Christiani Lipsanotheca
XAVERII careret exuvijs;
Dexteram, tot prodigiorum opificem prensaverat.
Sive osculum fixura, tot Palmarum Palmæ:
Sive hoc brachio, contra Idololatras,

Pe-

(a) *Vide hoc prodigium apud Bartoli in Vita.* (b) *Anagrammaticè.* (c) *Romam brachium S. Xaverij delatum sub Claudio Aquaviva, vide Bartoli in Vita.*

Petri gladium fortiùs vibratura.
Ergo ſacrum ſpolium
Oceani periculis, & Pyratarum avaritiæ exponitur.
Qui armatam XAVERII brachio claſſem adorti,
propè in ſaxa riguêre.
Lembus ipſe Pyraticus abſque anchoris,
Tumentibus licèt carbaſis ſtat.
Et XAVERIUS exertâ in hoſtem dexterâ ſeverus,
Hoſte contempto prætervehitur.
Agnoſcite è pollice Gigantem Batavi
Nec de Goa ſuo tuta XAVERIO,
(a) tentatos triumphos ſperate,
qui ad ſolas XAVERII minas, obrigeſcitis.

ELOGIUM XXV.

(b) XAVERIUS Solem jam merſum, ſuper horizontem reducit, & naufragos ſervat.

SIMILES.

VEtera Hebræorum prodigia,
qui

(a) *Goam Indiæ Caput, paucis ab hinc annis Batavi obſedêre, ſed fruſtrà.* (b) *Vide Boanert. in Eccleſiaſticum, & Imaginem primi ſæculi Soc.*

qui in apographo legere cupis,
Acta XAVERII consule.
Solum hîc Loci, Temporis, ac Nominum
discrimen;
gesta eadem.
Thaumaturgus Moses
(*a*) *Armatis precibus* Amalecitas fundit,
XAVERIUS Acenos.
(*b*) Ille Petrâ virgâ (Crucis symbolo) in aquas;
Hic Cruce virgæ assymbolâ,
Salsum Elementum in dulcorem eliquat.
Servati hoc prodigio,
Inde Hebræi, hinc vectores Indi didicêre,
uno Sanctorum molimine,
Et aquam è pumice,
Et *pro Sale*, dulcorem hauriri *è Sale*,
Neque Elementa segregentur à mixtis.
Jam (*c*) Moses Ægyptijs, XAVERIUS To-
lanis
Thaumaturgâ manu gravis,
plagas decuplat.
His elisâ contumaciâ
Divino honori litatum est.
Aliàs fidelis populi servator uterque,
(*d*) Moses manu, & virgâ,
XAVERIUS voce, & Imperio,
Tyran-

(a) *Exod.* 17. (b) *Num.* 20. (c) *Exodi* 10.
(d) *Exodi* 14.

Tyrannos hic fugat, ille mergit.
Unum propè Mosen diceres,
Illum Palæstinæ, hunc Indiæ.
At major Palæstino,
Indicus Josue XAVERIUS.
Solem ille stare jubet, hic regredi.
Ille extra (*a*) tropicos Solstitium facit,
Iste novum Soli tropicum designat.
Dum ab Occasu in Ortum,
super horizontem *reverti* compellit.
Respirant interim naufragi,
quorum vita, XAVERIO opitulante,
unà cum Sole ab occasu in ortum remeat.
Sed & renovatum (*b*) Achazi prodigium,
stupent Asiæ horologia;
Dum fatalem quondam Ezechiæ,
nunc Nautis gnomonem,
unà cum reducto Sole
ab ultima Vitæ linea,
ad anteriores retrahi vident.
Reliquus Orbis
novum in XAVERIO suspicit (*c*) Phaëtontem,
nec horret.
Qui injectis Solari currui habenis,
Temonem ab Occasu flexit in Ortum,
sed citra incendium Terrarum.

Nam

(a) *Tropicus dictus à revertendo* (b) *4.Reg.20.*
(c) *Fab. vide 2. Metamor.*

Nam exlegi licèt corporis ſolaris motu,
homines ſervat quos Phaëton perdiderat.
Nempe hunc ad Solares habenas admovit ſuperbia,
Illum Charitas.
Cujus ignes temperati Solis æmuli,
Terras fovent, non lædunt.
At Superbiæ exerrantes flammæ,
Orbem fumo, ac cineribus implent.

ELOGIUM XXVI.

Xaverii poſtrema in Sinas expeditio.

EPILOGUS.

Rerum à Xaverio poſtremùm geſtarum,
Indicem cape.
Et de Epilogo fabulam,
Et fabulæ actorem noſce.
Subactâ Chriſto Indiâ,
Japoniâ initiatâ,
Novum Orbem Terrarum animo deſtinat
Sinas.
Hoc Sinarum Imperio dedêre Indigenæ Nomen.
Nec inani Nomenclaturâ:

De muro Chinensi, Orbis Sinici pomœrio,
ut de ungue Leonem metire.
Erubesceret cum Semiramide confusa Babylon,
(*a*) Visis his mænibus;
Et sive alterum Orbem,
Sive alterum Orbis hæmisphærium,
diceret Sinas.
Imperij amplitudini, par Sinicæ potentiæ
tumor.
Nec mirum.
Nam *hominum ingenia cerebri more*,
in (b) *Panseleno potentiæ* (c) *intumescunt*.
Ergo suâ superbi (*d*) *αὐταρκείᾳ* Sinæ,
Patriam Sacrosanctum alienigenis adyton decernunt.
ex Superbiæ scilicet ingenio:
Quæ *Majestatem visam*,
velut per Microscopium minui docet,
auditam: *velut per* (e) *Oticos famæ tubos*,
crescere.
Hinc *audita visis plerumque majora*.

Nisi

(a) *Vide Justin. lib.* 1. (b) *Panselenum, plenilunium*. (c) *Lunam plenam, ut multa sublunaria, sic & cerebrum animalium augere, docent Philosophi Tract. de Cœlo*. (d) *Est sufficientia sibi ipsi*. (e) *Sunt Tubi auriculares*.

Nisì fortè Hesperidum hortos (*a*) Patriam credant Sinæ,
Cui Barbara in advenas edicta,
Draconis locò sint,
Mala aurea, aurea *mala*, Opes.
Sed & suum hic Draco Herculem reperisset,
in XAVERIO,
nì fata obstitissent.
Ergo quid consilij capiat,
Orbis Terrarum indigena XAVERIUS?
puduit alienigenam à Sinis credi,
Cui omne Solum Patriam, fecerat Virtus.
Sed *Barbaris*,
ut Virtus, sic & Virtutis privilegia ignota sunt.
Ergo desperato à Virtute consilio,
ad ingenium convolat:
Ratus alas, quibus Muros Chinenses transvolaret,
(*b*) petendas à Dædalo.
Ergo adamantinis Sinarum seris,
clavim auream adaptat.
Nam Regis Lusitani Nomine,
Legationem auro gravem,
in Sinas promovet.
Gnarus, tam bello quàm pace

G au-

(a) *Vide Natal. Mithol. lib.* 7. *c.* 1. (b) *Vide Pausan. in Bœoticis.*

aurum feliciùs tractari, quàm ferrum.
Ipse fidem pro auro,
De Sacris Vaticani fodinis erutum, laturus,
Sub Lusitani Collegati forma,
Cœli Legatum agit.
Cui non Gentium, sed Cœli jure, Sinæ pateant.
Sic progressa secundo cursu, Malacam usque consilia.
Sed non plus ultra.
Nam freti aulici Typhones
Invidia, & Superbia,
Nimbos excivêre,
Quos Athaides, velut alter * Orion,
Lucidum Aulæ Lusitanæ Sidus, sed tempestuosum, densaverat.
His jactatus, cum Jacobo Pereria Legato Xaverius,
Sinica consilia afflixit ad Scopulum.
Ita serò didicit,
Japonicis Typhonibus, Invidiæ turbines, sævire graviùs.
Et in Aularum Cœlo,
sub Cynosurarum specie palliari Cometas.
Sed æstuosa hæc fortuna

Eurip-

* *De Orione Tempestuoso vide Natal. Mythol. lib. 8. cap. 12.*

Eurippum in XAVERII mente non fecit.
Qui devotâ, cum Athaide, Diris Malacâ;
De Sinici consilij statu, non migrat.
Sed ferreo Sinarum muro, pectus aheneum objicit.
Certus, aut Sinarum fores rumpere, aut vitam.
Ergo pacto cum Nauta pretio,
vili lembo ingentem XAVERIUM committere statuit.
Minùs de naturæ fide securus,
quàm de salute navigij.
Nempe majorem Cæsare XAVERIUM vecturo.
Sed punicâ demum fide,
Solam Sinarum spem, pretio emerat XAVERIUS.
Sic frustrato supremo hoc cònatu,
Sinica demum se Littora arâsse ingemuit;
sed, unde fruges colligerent Superi.
Nam in hoc littore,
XAVERIUS destinata Cœlo Messis,
tandem maturuit.
Sic vel arata littora fruges ferunt,
ubi Calor Virtutis,
per adversorum antiperistasim intenditur.

ELOGIUM XXVII.

XAVERII in Sanciano obitus.

DOCUMENTA.

HUc, relictâ tantisper Peripato,
adeste Philosophi!
Stoam in Sanciano erigit XAVERIUS,
Qui peripatum inambulârat Parisijs.
Hîc seposito Patre, Avum audietis
Platonis Nepotes.
Cujus ventilandam Thesin,
moriens proponit XAVERIUS:
* *Philosophia Mortis Contemplatio*
Suum tamen Magister exiget Minerval,
Vestram de hac Theoria praxin.
Ergo sub straminea porticu,
aureum dogma accipite:
Disce mori.
Triumphato jam reliquo Oriente,
Sinas novis triumphis XAVERIUS,

XA-

**Tribuit hanc Thesin Platoni Plutar. lib. de placit. Philosophor. Quicunque Philosophiæ studium, rectè & verè sunt amplexi, etsi resciunt hoc alij, aliud nihil cogitant, & student, quàm abire, & mori. Plato in Phædone.*

XAVERIUM Cœlo destinant Superi;
Dum inter Sinicos assultus, sternunt.
Discite tam sacræ, quàm profanæ Polemicæ
dogma,
(a) *Imperatorem, stantem mori oportet.*
Nec honestiùs cadere Ducem,
quàm sub hostium manibus.
In ipso Sinicæ expeditionis æstu,
placidus cadit XAVERIUS;
nec Superum (*b*) Pronœæ obgannit
Disce Stoicorum dogma.
Non exturbari, sed sponte ire, quò tendunt
omnia.
Non fugere de vita, sed exire
frustra fatis obsisti.
Nam ducunt volentes fata, nolentes trahunt.
Lapidum, Sagittarúmque igni, innoxiè de-
pluo,
Barbarorum Exercitibus,
Pyratis, Anthropophagis,
Typhonibus, Scopulis, Naufragijs,
Tartaro ipsi superstes XAVERIUS,
placidus in Littore moritur.
Disce:

(a) *Vespasianus Augustus, morti proximus, nihilo minùs muneribus Imperatorijs fungebatur dicens: Imperatorem stantem mori oportere. Sueton. in Vespasiano.* (b) *Providentia.*

Tantundem semper à morte abesse Mortales,
Nam sæpe fata minantur, nec feriunt,
sæpe feriunt, nec minantur.
Extinguitur in Sanciano, altera Thūle,
Negatur Regiæ Stirpi supremum vectigal,
lacrymæ.
Justa, Inferias, Parentalia,
Rogum, Urnam, Tumulum,
componit nemo.
Absunt Tibicines, Præficæ,
Pollinctores, Libitinarij,
(*a*) Ossa Ægypti pyramide digna,
vilis cespes tegit.
Disce.:
Omne solum forti, & patriam esse, & tumulum.
Molliter quiescere,
qem Virtus ad Divorum (b) *pulvinaria evexit.*
Nam Terram gravem pati non potest,
qui Terræ gravis non fuit.
Sed nec fati genus, incusat XAVERIUS.
Plantatam ille ad sanguineos rivos Laurum,
frustra per Martyrium prensaverat,
Dum lethi vulgaris Cupressum, pro Lauro
messuit.

nec

(a) *Pyramides Regum Ægypti fuisse sepulchra, docet Herodot. in Euter. & Diod. Sicul. lib. 1.*
(b) *Erant lectuli Dijs dicati, in quibus simulacra reclinabantur, vide Cic. pro Domo sua.*

nec expers votorum.
Nam ut purpuratus Cœlum intraret,
(*a*) flore sanguinis sudore, chlamydem pinxit,
Quem laboris Apostolici Murex profuderat.
Disce
Nemini ad Cœli purpuram, aditum præcludi
Nam *de laboris Murice sudor nascitur,*
purpurâ nobilior
Unde trabeam triumphalem tingas.

ELOGIUM XXVIII.

XAVERIUS post obitum incorruptus.

POLLINCTURA.

NEc udus Cedrio, nec opobalsamo XAVERIUS,

G 4 absque

(a) *Jacobus Hollerius in 36. aphorismum Hypocratis, ait: Sudorem esse portionem tenuioris alimēti tertiæ concoctionis, id est sanguinis defæcati. De Murice vide Plin. lib. 9. c. 35.* (b) *Plin. lib. 16. c. 11. Cedrij (ait) tanta vis est, ut in Ægypto Corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur. Est autem pix liquida ex tæda excocta. vide Rader. in Martial. lib. 3. Epig. 2.*

absque (a) Myrrhâ, Cinnamis, asphalto,
Integer tamen, olim vitæ, nunc Corporis,
Jam alterum videt sæculum.
O prodigia!
Huc (b) Seplasiarij Mortales!
Pumili Gigantes, Terræ filij,
at quos Patriæ, & natalium pudet,
Novam citra Ægypti Myrothecia,
discite pollincturam
à XAVERIO.
Hac delibuti,
Sepulchris Majorum Amaranthos inferetis,
pro Cineribus.
ipso feliciores Mausolo.
Quem (c) *Cariæ* Regna imperantem vidêre,
sed *Cariei* subjectum.
Ergo prodigium novæ Pollincturæ accipite.
Vulturem induta sæva Lusitanorum pietas,
fami verè sacræ,
de sacris XAVERII lipsanis fecerat opsonium.
Hinc lentâ tabe fluxurum Cadaver,
in Cineres urgent,

Dum

(a) *Sunt amuleta putredinis. V. Plin. lib. 11. c. 37. & lib. 12. de asphalto. vide Plin. lib. 35. c. 15.* (b) *Accipitur pro unguentario effæminato. vide Lamprid. in Heliogab.* (c) *De Mausolo. V. Plin. lib. 36. cap. 5.*

Dum edaci calce respersa membra,
Sarcophagæ Telluri infodiunt.
Ossium analecta servaturi Lusitaniæ.
Sic panditur exanimi XAVERIO,
clausa in vivis Sinarum terra:
ut vel posthumus Sinarum reserator audiret.
Sperate sacra Georgica Socij,
Cœlestes Coloni.
Nam in jacta, in humum Sinicam, hac Semente,
spes viret Christianitatis Sinicæ.
Plaudite Romani Proceres!
Erigendæ in Sinis Ecclesiæ,
primus hic lapis,
fundamentis auspicium faciet.
Vos modò Ædiles submittite.
Jam Terræ, Calcis, ac Temporis edacitas,
saturari poterant XAVERIO.
Ergo Indias revisuri Lusitani Institores,
à Sinarum Terra,
pretiosum repetunt depositum,
XAVERII Cineres.
ijs vel Artemisiam, suo viduam Mausolo,
Indiam solaturi;
vel suis inde navibus Saburram facturi,
contra * Typhones Japoniæ. Os-

* *Typhones Mari Japonico infestos post deportata per illud Xaverij lipsana conquievisse docet Bartoli in Vita S. Xav.*

Oſſa Europæ deſtinant,
Hoc interim Eboris Indici penſuri vectigal,
Terrarum Reginæ.
Sic panditur tumulus,
urna legendis cineribus expeditur;
ſed ſuâ deluſi ſpe Veſpillones,
(*a*) Amaranthum legunt pro cinere.
Nam labis expers XAVERIUS,
Anthropophagæ Telluris dentes non ſenſit.
Tori, pulpæ, Coxendices,
dubios reddunt Libitinarios,
vivúmne exhument XAVERIUM, an mortuum?
Balſamum in calce,
Cedrinam Sandapilam in putri gleba,
Vitam in exanimi corpore,
ſtupent Archiatri.
Sed & confuſam Ægypti Regum, notant ſuperbiam,
quorum Cadavera,
(*b*) Regalis Pollincturæ beneficio,
immortalitati deſtinata;
jam mixtam balſamo halant Mephitim,
Et mutuatos in pollinctura liquores,

cum

(a) *De Amarantho immarceſcibili rectè Plin. lib.* 21. *c.* 8. *Amarantho, non dubiè vincimur.*
(b) *De pollinctura Regum Ægypti Plin. lib.* 13. *c.* 1. *Raderus in lib.* 3. *Epigr.* 9.

cum fœnore saniei refundunt.
Interim XAVERIUS absque balsamo balsama
spirat,
quibus Cœli Seplasiaria Pudicitia,
pijssimum XAVERII corpus imbuerat.
Hinc sua exanimi XAVERIO anima.
Discite novum pollinčturæ genus,
(*a*) amaranthophili Mortales
PUDICITIAM.
Nemo à putenti (*b*) Aphrodisiæ spuma
vigorem expectet,
Sola CASTITAS
etiam post fatale (c) Θ, Athanasios facit.

ELOGIUM XXIX.

Iconis CRUCIFIXI, & XAVERII laborantis

SYMPATHIA.

Sympathicis motibus,

æquè

(a) *Incorruptionis amantes.* (b) *Est Venus orta è maris spuma* (c) *In Judicijs erat quondam signum condemnationis ad mortem, quod sit prima litera vocis Thanatos. vide Pers. Sat.4. Alexandr. Neapolit. lib.3. c.5. & Tiraquel. ibid. Et Rader. in Epigr. 31. lib. 7.*

æquè gratia urgetur, ac natura.
Novum hoc Theoſophiæ arcanum
aperit XAVERIUS.
Adeſte Theoſophi;
Et novum dogma trutinæ Theologicæ ſubjicite.
(*a*) Popularem dogmati fidem adſtruunt,
Tabulæ, Jusjurandum, Teſtes.
Sacram veſtra dabit criſis,
(*b*) Nam *Lydius Theologiæ Lapis,*
aurum tandem diſtinguit à Scoria.
Ergo dogmatis argumentum accipite.
Sudantem in Sole, ac pulvere Indico XAVERIUM,
In Icone CRUCIFIXI, Arce XAVERIO ſita,
(*c*) velut Smaragdino Neronis ſpeculo,
Europa vidit.
Nam preſſo gravioribus ærumnis XAVERIO,
Sympathico Sudore madebat Icon,
eundem terſura, eodem reſpirante:
Crederes,
Nunc eidem utrumque obnoxium Soli, ac pulveri,
Nunc umbræ.

Ex

(a) *Bartoli Vita lib. 4.* (b) *De natura lapidis Lydij, vide Plin. lib. 33. c. 8.* (c) *Nero Princeps, gladiatorum pugnas ſpectabat in Smaragdo Plin. lib. 37. c. 5.*

Ex hac *Sudoris* velut (a) *Hydromantia*,
de XAVERII ærumnis *divinabat* Europa.
Quas plùs quàm Herculeas fuisse,
mixtus Sudori Cruor arguit.
Supremo XAVERII anno largiùs fusus,
Apostolicos motus in fine velociores docuit.
At in morte largissimè stillans,
Iridem exhibuit,
transactæ jam hyemis Xaverianæ nuntiam.
Atque hæc nostra de Sudore portentoso Hydromantia.
Quid vestra Physiologi, Astrologi, Theosophi?
Phlebotomam dicite Physici hanc Iconem,
XAVERIO venas flammeis sagittis incidente:
Quas, inter Sagittarios Indos,
potentiùs vibrare didicerat.
Gnomonem dicite Astrologi,
Sudoriferam hanc Crucem;
Qui Xaveriani Sudoris fluxus,
velut (*b*) Hydraulici decrementa horologij
signet.
At Theosophi,
Sacram inter utrumque Sympathiam asserite,
Sympathiæ radicem,
morum, ac genij inter utrumque Symphoniam.

Nam

(a) *Divinatio facta ex aquis.* (b) *Est ex aquaticis artificijs confectum.*

Nam, * ut natura, sic gratia,
unâ basi Sympathiam fundant;
Similitudine.
Hæc morum, ac virtutis,
Illa humorum, & complexionis.
Tu verò de Sympathicis his motibus
collige Europa;
Quàm gemellus Christo fuerit XAVERIUS!
Sed & technas amoris agnosce,
quo XAVERIUM deperibant Superi,
Dum Christi æmulas XAVERII Virtutes,
in Indicis latebris sepultas,
prodigioso hoc Sympathiæ portento
produxerunt in Solem.
Imò absque portento
Nam utriusque Virtutum homogenea Symmetria,
Sympathiam necessariò gignit.

ELO-

* *Audi Joan. Fernel. Medicum Parisien. Etiamsi, ait, multa inter se conferamus, necesse est omnino, has illorum proprietates, aut similitudine quâdam, & affinitate sibi consentire, aut dissimilitudine, atque dissidio adversari. Hinc Sympathiæ, id est consensiones, & dissensiones profectæ sunt. lib. 2. de abdit. rerum causis cap. 17.*

ELOGIUM XXX.

XAVERII ſtupenda in Æde Cottatenſi prodigia.

PHARUS.

EXtinctam (*a*) Ægypti Pharon,
ne flete Navarchi;
(Niſi ſuperſtes tantis ignibus vanitatis fumus
lacrimas vel invitis cieat)
En novam Oceani Pharon,
alteram Maris Indici Cynoſuram,
Exhibet Cottata.
Vicus eſt dorſo Comorini incumbens,
Qui nî dudum extinctas Ægyptiæ Phari lampades,
Radijs Ædis Xaverianæ,exoculâſſet.
Dicite Pharum Indiæ,
obliteratâ Ægyptiæ memoriâ Nautæ,
Scribite Coſmographi, (*b*) Ichnographi pingite
Veterem illam (*c*) Ptolomæus Philadelphus,
Ægypti Monarcha,
Hanc XAVERIUS, Orbis Thaumaturgus accendit.
Illa

(a) *De Pharo. vide Plin. lib. 36. c. 12.* (b) *Delineatores.* (c) *Ita Plin. lib. 36. c. 12.*

Illa de ſeptem,
Hæc de mille mundi Miraculis
non una, ſed prima.
Videte jubar prodigiorum attoniti Mortales,
Et Sententiæ ſubſcribite.
Thaumaturga hîc XAVERII Icon,
lucem prodigiorum ſpargit.
Nam phoſphoræ ipſæ lampades,
è tholo Xaveriano appenſæ,
* Non ignibus lucent, ſed prodigijs.
Harum ellychnia,
lethali ſuo toxico vivunt, aquâ.
dum aquam ſugunt pro oleo.
Stupent Ignes aquarum alumnos Indigenæ,
Et antipathica Elementa,
de antipathico alimento,
vivere mirantur.
Vident accenſas Vulcani cum Tethyde
jugales tædas,
Nec ulla connubij tam illegitimi divortia.
Sic portenti jubar per Orientem ſpargitur,
Et navibus ad prodigium excîtis,
Pharon exhibet.
Adſunt Barbari, novum illicò daturi prodigium,
nec abſimile
Nam de Thaumaturgis lampadibus,
fidei

* *Vide Bartoli Vita lib. 4.*

fidei lampadem accendunt;
Ita rursum de aquis ignes vivunt,
Dum de aqueis lampadibus,
Fides lumen, Charitas ardorem trahit.
Sed & inde jubar, Phari Cottatensis disce;
quòd vel effossis * stirpitus oculis illuxerit.
Nam elisos pyrio pulvere oculorum orbes,
ad Divi Iconem recepit Barbarus.
Sic oculos,
pulcherrimam vultûs humani formam,
Subjecto jam propè *incapaci*
restituit XAVERIUS.
Felix hic Barbarus!
Qui in tristi oculorum naufragio
Thaumaturgam Cottatæ Pharon
lætus, ac sospes aspexit.

ELOGIUM XXXI.

XAVERIUS sævissimam Pestem Neapolitanam, & præsagit, & fugat.

PARÆNESIS.

M*agnæ Urbes, magna Sepulchra,*

H Et

* *Oculos stirpitus effossos Babaro restituit. Bartol. lib. 4. Vitæ.*

Et Cadaver grande, de grandi Corpore.
Audi gnomen deliciosa Italia,
Cui Flos Urbium Neapolis subscribit.
Hæc moli suæ impar,
suâ sibi nuper populositate,
prope exitium tulit.
Et quid aliud à magnis Urbibus expectes?
Nam Populositas (a) *Epidemiæ semen est.*
Hoc malo dum Italica Tempe afflantur,
Discite Sybaritæ, & Sardanapali,
Neque (*b*) Bajæ fontibus, nec lacubus Lucrinis,
Nec Cœlo Tusculano,
Nec Campanis delicijs fidendum.
Discite,
de quavis uligine facilè Pythones nasci,
Nec ipsam (c) *Urbium Pandoram* Neapolim
Virulentâ pyxide carere,
quâ Cives necet.
Sed & advertite, nunquam totos irasci Superos.
Nam grandi malo, Magnum opposuêre Æsculapium,
Thaumaturgum XAVERIUM.
Hic malo lethali provisurus,
Malum prævidit,

Dum

(a) *Est morbus popularis, de quo vide Fernel. lib. 2. de abdit. rerum causis cap. 12.* (b) *Loca salubri amænitate celeberrima.* (c) *De Pandoræ pyxide. vide Natal. lib. 4. Mythol. c. 6.*

Dum in Icone ſua,
futuræ cladis prognoſin fecit.
Erigere in ſpem proſtrata Neapolis!
XAVERIO ſuccollante, tota non rues;
Nam:
Nemo meliùs malis providet, quàm qui prævidet mala,
Et qui mala futura proſpexit,
præſentibus proſpicit.
Sic futuræ cladis prognoſticon facturus,
futuram Urbis faciem, in facie delineat,
feralis Tragœdiæ, feralem prologum.
Dum vivis Iconis coloribus, luridum pallorem ſuffundit.
Picti oculi, veris innatant lacrimis,
Et veram Urbis deplorant Cataſtrophen.
Sic charæ ſibi quondam Urbi,
lacrymarum vectigal,
anticipatò perſolvunt.
Hinc Cives veri (*a*) Necromantæ,
fata ſua legunt;
Et de vultûs Xaveriani indice,
ſupremam horam numerant.
Sic ſævâ tandem lue, vaſtatur Neapolis,
Et triſtiſſimâ Metamorphoſi,
Italiæ (*b*)Hygiaſteriū, in Noſcomium vertitur.

H 2 *Adeò*

(a) *Mortis ſuæ præſagi.* (b) *Loc⁹ ad quē homines cōfluunt ſanitatis tā tuēdæ quàm recuperādæ causâ.*

Adeò corruptio Optimi, pessima!
Succedit Mors ipsa, suo instructa luxu,
Nam pro Erythræis Carbunculis,
pestiferos (*a*) anthraces,
pro Orientalibus Cimelijs,
Lethales (*b*) bubones urbi invehit.
His plus viginti hominum Myriades absumptæ,
Urbem vertêre in Sepulchretum;
Dum sublatis Libitinarijs, & Vespillonibus,
sparsa per Urbem Cadavera putruêre.
Ita prope interijt Neapolis.
Discite Mortales,
quàm graviter ruant, quos DEUS prosternit!
Ponite sceleribus modum,
Nam hæc Confluentis more,
aggerem tandem DivinæClementiæ rumpunt.
Hoc effracto
Divina Nemesis,
in sontes non fluit, sed rapitur.
Jam quid agant femineces Reliquiæ?
Nova quotidie alendæ pesti suppetunt fomenta,
Nam funestâ vicissitudine,

Cada-

(a) *Est ulcus, quasi ex ustione ut docet Galen.*
(b) *Sunt tumores interdum pestiferi de his, vide Plin. lib. 27. c. 5.*

Cadavera de peste, de Cadaveribus pestis.
At erigere prostrata Neapolis.
Sæpe *spei causa desperatio est*,
Et tum serenum imminet, cum Tempestas in summo est.
Fata nuper Tua de vultu XAVERII legisti,
Nunc vitam de manibus lege.
Jam desperatâ à terris salute,
Cœlum respectat Neapolis.
Inde repullulanti Hydræ,
Herculem petitura:
Servatorem Neapolis XAVERIUM.
I fama!
Et triumphali sono prodigium cane.
Ne dubitaret, cui vitam deberet Neapolis,
post appensa Divo anathemata,
Nuncupata vota,
Decreta supplicia,
ipso XAVERII Natali renascitur.
Hic funerum terminus.
De ægris decedit nemo,
nemo de valentibus ægrescit.
Vertite Epicedium, in Genethliacon Sirenes,
Dum Urbium Phœnix Neapolis,
Ad Xaveriani Natalis Solem,
de cineribus * palingenesiam celebrat.
At Tu Clientelari jure, jam Urbs Xaveriana,

H 3 Te

* *Regenerationem.*

Te Tuo Servatori redona
Patrem Patriæ agnoſce, ſaluta, cole.
Sed & *novo* jam vigore, *novis* Incolis
Nova XAVERII Clientelâ,
ex vero *Neapolis* audi.

ELOGIUM XXXII.

XAVERII beneficio Marcellus Maſtrillus & vitæ redditur, & Martyrij laureâ potitur.

(a) *ANTHOLOGIA.*

ET hoc delicijs debebatur Tuis (*b*) Parthenope
Urbs Virginea, Ver & Flos Italiæ.
Campana Tempe, Neapolis,
Ut ad Xaverianos ſavonios,
fœcundior effloreſceres.
Celebrate anthologiam Cives,
& renatum ad XAVERII cœleſtes afflatus,
Stratum ad Japonicos turbines,
Neapolis florem colligite,
Hyacinthum.

Mar-

(a) *Id eſt florilegium.* (b) *Dicta ab una Sirenum ad Neapolim merſa,*

Marcellus Maſtrillus hic eſt,
Neapolitani Sanguinis flos,
Qui in *Zephyris* favoris Xaveriani,
Zoophoros expertus.
In ipſo funere ad vitam refloruit.
Hic ille eſt Maſtrillus,
qui deſtinatum jam Cupreſſo caput,
Teſte, ſed invidente XAVERIO,
Japonicæ laureæ devoverat.
Nam medente XAVERIO,
Malè malleati capitis repente integer,
ſtupente ad portentum Europâ,
ſpirantibus Soſpitatoris favonijs,
in Japoniam appellit
Barbarum hoc Solum, generoſam hanc ſtirpem
decuerat
Nam *molles plantæ durum Solum non ferunt.*
Ergo ferali Scrobi,
velut radices acturus infoditur,
Inimicus aquei tormenti Imber,
irrigui vice eſt
Hoc antiperiſtaticè
intendit calorem Charitas.
Unde in florem Japoniæ matureſcit Maſtrillus.
triplici, ut cæteræ Stirpes Nutrimento,
Terrâ, Aquâ, Calore,

 Sed

** Zephyrus eſt ventus vitalis, dictus quaſi Zoophoros vitam ferens.*

Te Tuo Servatori redona
Patrem Patriæ agnoſce, ſaluta, cole.
Sed & *novo* jam vigore, *novis* Incolis
Nova XAVERII Clientelâ,
ex vero *Neapolis* audi.

ELOGIUM XXXII.

XAVERII beneficio Marcellus Maſtrillus & vitæ redditur, & Martyrij laureâ potitur.

(a) *ANTHOLOGIA.*

ET hoc delicijs debebatur Tuis (*b*) Parthenope
Urbs Virginea, Ver & Flos Italiæ.
Campana Tempe, Neapolis,
Ut ad Xaverianos favonios,
fœcundior eſfloreſceres.
Celebrate anthologiam Cives,
& renatum ad XAVERII cœleſtes afflatus,
Stratum ad Japonicos turbines,
Neapolis florem colligite,
Hyacinthum.

Mar-

(a) *Id eſt florilegium.* (b) *Dicta ab una Sirenum ad Neapolim merſa,*

Marcellus Mastrillus hic est,
Neapolitani Sanguinis flos,
Qui in *Zephyris favoris Xaveriani,
Zoophoros expertus.
In ipso funere ad vitam refloruit.
Hic ille est Mastrillus,
qui destinatum jam Cupresso caput,
Teste, sed invidente XAVERIO,
Japonicæ laureæ devoverat.
Nam medente XAVERIO,
Malè malleati capitis repente integer,
stupente ad portentum Europâ,
spirantibus Sospitatoris favonijs,
in Japoniam appellit
Barbarum hoc Solum, generosam hanc stirpem
decuerat
Nam *molles plantæ durum Solum non ferunt.*
Ergo ferali Scrobi,
velut radices acturus infoditur,
Inimicus aquei tormenti Imber,
irrigui vice est
Hoc antiperistaticè
intendit calorem Charitas.
Unde in florem Japoniæ maturescit Mastrillus.
triplici, ut cæteræ Stirpes Nutrimento,
Terrâ, Aquâ, Calore,

 Sed

* *Zephyrus est ventus vitalis, dictus quasi Zoophoros vitam ferens.*

Sed ævum, florum more non tulit.
Nam Japonicâ falce tandem demessus,
Ferruginei Hyacinthi more elanguit.
Collige cadentem florem florum Patria Nea-
polis,
Nec floris jacturam luge.
Erit Tempus;
cum aspirante XAVERIO,
annuente Româ honorum arbitrâ
de purpurato *hoc* **Hyacintho*
Sanctiora veteribus celebrabis Hyacinthia.

ELOGIUM XXXIII.

XAVERIUS Potami Thaumaturgus.

EUCHARISTICON.

VEstra hic Potamum implorat subsidia
Gratiarum suavissime Ternio,
Aglaïa, Thalia, Euphrosine;
Ut contracta apud XAVERIUM nomina
exoluat.
Nemo vobis huic muneri aptior.
Nam *immortalibus* XAVERII in Potamum
meritis,
ex æquo respondent,

Im-

* *De Hyacinthijs nocturnis sacris, olim à Luc. celebratis, vide Metamorph. lib.* 10.

Immortales Gratiæ.
Ergo adeste.
Et sive per Hyblæ, sive Pæsti,
sparsæ Viridaria,
lectos jatricos flores, in (*a*) Pancarpias contexite
Coronam daturos, Cœlesti Archiatro XAVERIO.
Hanc dum Sacro Vertici imponitis,
hoc Potami nomine,
Servatori suo,
Aglaïa pangat Eucharisticon.
XAVERIO POTAMIENSI.
Quòd absque florum, ac herbarum Virtute,
Morborum Examina Potamo depulerit.
Cephalalgiam, Odontalgiam, Epilepsiam,
absque (b) *Cariophyllis,*
absque (c) *Chelidonia Ophthalmiam,*
absque (d) *Melisophyllo Cardiacos dolores.*
Innumeros febrium æstus, absque (e) *Nymphaa;*
Absque (f) *rosis ulcerosas periphlegmonias,*
H 5 Carci-

(*a*) Sunt Coronæ è varijs floribus. (*b*) Vide Schröderum lib. 4. Classe 1. n. 79. (*c*) Chelidoniam visui saluberrimam Hirundines monstravêre. Plinius lib. 8. c. 27. (*d*) Vide Schröder. lib. 4. Class. 1. n. 207. (*e*) Schröder lib. 4. Class. 1. n. 232. (*f*) Vide Plin. lib. 21. c. 16. Fernel. lib. 5. c. 3.

Carcinomata, Maniam, Hypochondriam
absque (a) *Helleboro.*
absque (b) *Meliloto tumores;*
(c) *Dictamno ictus venenatos,*
Arthritidem, Calculum, Icterum
absque (d) *Verbena:*
(e) *Baccâ lauri Paralyses, & Colicas.*
Mille alias pestes,
absque alijs antidotis Herbarum,
Has de triumphatis iatricis floribus pancarpias,
Claro prodigijs Vertici,
Potamum apposuit.
Aglaïam, suo amæna virore excipiat Thalia,
At Amaranthino serto instructa,
Hoc ad coronandi sacri Verticis triumphos,
accinat (*f*) propempticon.
XAVERIO POTAMIENSI,
Vitæ ac Mortis arbitro,
Quod quinquaginta jam flaccidas,
septem ac viginti omnio emortuas,
Vitæ humanæ Stirpes,
ad vitam revirescere fecerit,

Ius-

(*a*) Vide Plin. lib. 25. c. 5. (*b*) Vide Schröder. lib. 4. Class. 1. n. 206. (*c*) Plin. lib. 8. c. 27. Dictamnum extrahendis sagittis cervi monstravêre. (*d*) Shröder. lib. 4. Class. 1. n. 353. (*e*) Schröder. lib. 4. Class. 1. n. 184. (*f*) Est Carmen, quod comitatur ipsam actionem.

Immortale hoc germen,
Sphæricam, termini expertem figuram complexum,
in æternaturæ gloriæ diadema,
contexuit;
redivivus de tot funeribus,
Vicus Potamiensis.
Tandem, & Euphrosine
Explicato de more in lætitiam vultu,
hoc binis Sororibus,
subjiciat Epiphonema;
XAVERIO CALABRICO
quod involutam, tot cladium mœrore
CALABRIAM,
thaumaturgo suo splendore,
in suo Potamo
ad hilaritatem explicuerit:
Unum de mille Calabricis floribus,
Calabriæ radiantissimo Soli,
Sui obsequij Symbolicum argumentum,
dedicat Heliotropium.
Sypathico suo Sideri
obversa semper, cum suo Potamo
Calabria.

ELO-

ELOGIUM XXXIV.

Divus XAVERIUS in Regno Boëmiæ Thaumaturgus.

VICES.

Tandem peragrato prodigiorum cursu,
Cœli Christiani Zodiaco
(*a*) *Leonem Boëmicum* subintrat
Sol Orientis XAVERIUS!
facesse frigidum Aquilonis sidus Luthere,
Gratâ vice Boëmicum vertitur Cœlum.
Nam intensam per Te,
patriarum Hæreseon hyemem,
Sol in Leone dissipat.
Sperate avitæ pietatis annonam,
Sacri Triptolemi, Boëmici Præsules:
Nam sub errorum pruina, viridis Virtutum Messis,
sub æstivo hoc sidere flavescet.
O lætas vices!
Tu quoque Boëmici Capitolij, non servator,
Sed *proditor* (b) *Anser*

so-

(a) *Leo Regni Boëmiæ insigne* (b) *De servato Anserum vigilantiâ Capitolio. vide Plin. lib. 10. c. 22. Livium lib. 5. Dec. 1.*

solum verto,
Tuum sequere *Martinum*
Qui dum luctuosum *Gaudium Martini*
Germaniæ præbet,
Tu Constantiæ (*a*) ultricibus flammis affatus,
ferale Martini Epulum adornâsti.
Ergo facesse ad Noctuarum tenebras,
Nam Thaumaturgi XAVERII splendores,
Aquilarum oculos ferunt,
Anserum feriunt.
Hos nuper novus,
(*b*) è Metropolitana D. Viti specula,
Archimedes,
novo Commentario,
velut speculo caustico collectos
ita sparsit;
ut castis in XAVERIUM flammis
Boëmiam incenderet.
Eos Tu denuo fama,
in punctum Epitomes collectos, sparge.
Et cum Xaveriana luce,
animorum calores intende.
Ergo adeste
Tristi nocte morborum atrati mortales
solam vobis exhibuit auroram Oriens,

Nunc

(a) *Exustus Constantiæ Anno 1415. vide Procop. Lupac.* (b) *Reverendissimus ac Perillustris. D. Joannes de Longa Villa Canon. Pragen.*

Nunc Solem habetis in Meridie,
XAVERIUM Thaumaturgum in patria.
Hinc vestram hauritis ophthalmici lucem,
Phthisici pulmones,
Vires Hectici,
Cephalalgici, Podalgici, Apoplectici vigorem,
Mentem Phrenetici,
Vitales motus Epileptici,
Sontici, & (*a*) cachectici (*b*) Evexiam.
Ab hac luce, vestra puerperæ Lucina,
Devij per avia sylvarum,
inter noctis caligines Luna:
Ab his radijs,
Inter Vitæ, ac Mortis *dubiam lucem*
serenus multorum dies.
stupente Mortis, ac Vitæ,
repentinas vices Galeno,
Et manè Vespertino crepusculo contiguum.
Sed uni præ cæteris radio intendite.
Hic in Illustre Slawatarum Rosetum illapsus,
Suum in ipsa (*c*) Rosarum Matre heliotropium
sive reperit, sive fecit.
Cui ne (*d*) Solis sui deesset forma,
Nomen præcavit.

Nam

(a) *Mala Corporis habitudine laborantes* (b) *Bona Coporis constitutio* (c) *Illustrissima DD. Francisca Comitissa de Slawata, &c.* (d) *Heliotropium speciem disci Solaris præfert.*

Nam homonyma ſuo FRANCISCO, Franciſca
ut etymon Nominis,
Sic Virtutis, mutuata videtur à XAVERIO,
ut heliotropium à Sole.
Sic in omni (*a*) Itinerum motu,
Soli ſuo per Indiam peregrino intenta,
Nec tam ejus pediſſequa, quàm Comes;
prodigioſum radium excipit.
Nam (*b*) everſo graviſſimo lapſu Carpento,
ita cum Comite ſuo XAVERIO cecidit,
ut heliotropium ſolet,
ad occiduum Solem.
At imploratâ mox XAVERII ope,
unà cum ſurgente ad opem Sole ſuo,
incolumis erigitur.
Non magìs læſa,
Quàm heliotropium ſolet,
dum Caput reclinat cum Sole.
Sic Roſarum Matrem,
Sic Roſas ipſas eriget XAVERIUS.
Ergo lætas & Tu ſub hoc ſidere vices præſtolare,
Vernantiſſime ſtirpium Boëmicarum flos,
ROSA SLAWATINA.

Hanc

(a) *Nunquam ſe itineri committit Illuſtriſſima ſinè Icone peregrinantis Xaverij.* (b) *Reſupinato curru graviter lapſa Illuſtriſſima, ſed abſque noxa etiam vitrearum feneſtrarum, ad S. Xaverij invocationem.*

Hanc dum olim (*a*) patrius Turbo ſolo tenus
dejicit,
propitius Auſtriaci favonij afflatus erigit,
à ſiniſtris ultrà caſibus immunem,
XAVERIUS reddet.
Debes id ſpei,
Tuæ, cui ortum debes radici:
Quæ ut prima,
in æde Oporzanenſi Xaverianos collegit
radios,
Sic eorum Virtutem,
in genitas à ſe ſtirpes reflectet.
Ita in Thaumaturgo per Boëmiam Xaverio,
Roſarum Mater, Roſarum Patrem agnoſcet.
Nec inani noſtro vaticinio.
Nam (b) *Sol in Leone*, *Roſarum* Pater eſt.

(a) *Guilielmus Comes Slavvata de feneſtra à Rebellibus præcipitatur. Anno 1618.* (b) *Menſe Julio Roſæ vigent maximè.*



SYL-


)†(

SYLLABUS ELOGIORUM.

Elogium I.



BE-



BENEVOLE

LECTOR

Ne sequentes vacarent pagellæ, Corollarij instar adjicere visum est Imagines Emblematicas, è Xaveriani nominis Anagrammatismis desũptas, easq; pauculas de pluribus, quas Xaveriano honori devot⁹ Cliẽs, S. J. Sacerdos, concinnavit.

IMAGO I.

D. Xaverius acceptum ex ulnis DEIparæ JESULUM deosculatur, & ex eo, velut argumentosa apis è Flosculo, sugit mel & lac veritatis.

XAVERIUS

ANAGRAMMA I.

SUXI VERA.

LActeus ille Puer, Tibi quem FRANCISCE propinat
Virgo,* *Papilla* sui dicitur esse *Patris*.
Nec Patris tantũ, Matris quoq; mãma vocatur,
Lactavit Matrem scilicet ille suam.
Pupe papilla Patris, castæq; mamilla Parentis,
Quis mihi lac tribuat sugere posse tuum!
Sugite non pueri tantùm, juvenesque senesque
Sugite, *Lac* istud dicitur esse *Senum*.

* *S. Clem. Alex. apud Binet in magnet. amor.*

Suxit XAVERIUS; cùm Virgo Mater in ulnas
Floridulum Puerum lacteolúmque dedit.
Ore cui apposito dum dulciter oscula figit,
Formoso plus quàm nectar ab ore trahit.
Dic: quid suxisti? SUXI inquit VERA deditq;
Lacteus ille Puer lactea verba loqui.
Scilicet ex *Ore* hoc *Oracula* fundere discis,
Verborum ex VERBO gratia tanta venit.
Sub lingua FRANCISCE tua *Lac Melq;* morantur;
Quàm *sapiunt*, quib⁹ hæc Diva Papilla *sapit*.

IMAGO II.

Divus Xaverius Pauperum Pater Coronâ mendicabulorum cinctus, suam cuilibet opem impendit, manúmque opitulatricem porrigens intento in universos digito, Apostolicum illud repetit: CORONA MEA Philip 4. v 1.

XAVERIUS

ANAGRAMMA II.

JUVAS REX.

ERgóne XAVERIUS REX est? sic ipsa loquntur
Nomina, *Rex suavis* nomine, re magìs est.
Crux illi Sceptrum. sed ubi FRANCISCE Corona?
Quam spectas, inopum turba *Corona mea* est.

XAVERII quicunque voles augere Coronam,
    Cinge Patrem, & REGIS posce IUVANTIS opē.
Auxisti Regnum, dilatastique Coronam,
    Si thaumaturgum cingis amásque latus.
Hoc regnare illi est, miseros inopésque juvare,
    Hæ sunt Regis *opes*, ferre rogatus *opem*.

IMAGO III.

D. Xaverius contra immanem Badagarum exercitum solo Crucis signo armatus procedit, fugat universos & vincit in hoc signo feliciter, reipsâ exercens quod de Leone proverbialiter dixit Salomon c. & v. 30. ad nulliùs pavebit occursum.

XAVERIUS

ANAGRAMMA III.

REXI AUSU; *vel* VI SUA REX.

ITe procul timidi, non est virtutibus aptus,
    Cui rapit imbellis cor animósque timor.
Audendum est aliquid passim proverbia dicunt
    Si vis aliquis; si timeas nihil es.
Audaces non sola solet fortuna juvare,
    Audaces Virtus, astráque prona juvant.
Aude aliquid genere & generoso sāguine dignū,
    Si vis *monstratus dicier: hic vir hic est.*



Sola viros Virtus facit, audentésque coronat;
Cordatos adamat Gloria vera viros.
Hic Vir hic est XAVIER, dum barbara castra, Badagas
Unus in ignotam compulit ire fugam.
Effrœnem REXIT populũ,& compescuit AUSU,
Nè caderent agni præda cruenta lupis:
Hercule bis major XAVERIUS audiat orbi,
Nam timet ille duos, hunc duo castra timēt.
Quin *Constantino* XAVIER *constantior* hostes
Vincit, & *In Signo Hoc* mille trophæa refert.
Cor leporum est Badagis,tibi Cor FRANCISCE Leonis,
At tuus ille *Leo* quis nisi X⁹ erat?

IMAGO IV.

D. Xaverius mortuos redanimans ad vitam, chirographum mortis & naturæ debitum primâ nominis sui litterâ, Cruce videlicet inductâ delet, & Caussarum mortuarum agit Patronum, Ivo novus, Actor præclarus qui nunquam egit actum.

XAVERIUS

ANAGRAMMA IV.

JUS VERAX.

A *Juvo Jus* dictũ est (Studiosi advertite Juris)
A *Juvo* sic *Ivo* nobile nomen habet.
At toties nobis verso *Jus* grammate *vis* est,
Jus quando repetit mors violenta suum.

Hic

Hîc nihil Ivo juvat, nulla eſt exceptio Juris,
  Mors Codicem lacerat Juſtiniane tuum.
Xaverius Juriſta novus, qui doctus in ipſo
  Nomine Jus verax juſtitiamque fuit.
Huc miſeri! ſi ſ[illegible] premant chirographa mortis,
  Hæc ſuperinductâ diluet ille Cruce.
In Cruce Jus vitæ eſt; cruciât cùm debita Fati,
  Solvet, & hæc multas auferet una cruces.
Hanc ſi fortè Crucem quæris, Xaverius offert,
  Nominis en monſtrat littera prima Crucem.
Quid poterit totum delenda in *nomina* nomen,
  Si tantum illius littera prima poteſt!

IMAGO V.

D. Xaverius ſupra orbis ſphæram poſitus, (qualis paſſim in imaginibus æri inciſis, ſpectatur) quaſi orbe utroque major, Cœlo caput infert; ut meritò inſcripſeris: Documenta damus quâ ſimus origine.

XAVERIUS

ANAGRAMMA V.

Vir axeus.

Non unus, ſed nec gemin⁹, tibi ſufficit orbis,
  Qui gemino pectus latius orbe geris.
Ergò ſuper teretis ſphærâ ſtatuendus es orbis,
  Vix tellus pedibus ſufficit iſta tuis.

Cœlestis FRANCISCE *Vir* es, cœlestis origo
  Est tua; terrenum nil, nisi corpus habes.
Nec quod habes corpus, terrenum judice Cœlo
  Dixero, terrenæ nil cui labis inest.
Semideos quondam sibi g[illegible]ula fabula finxit,
  Semideis XAVIER tu mihi major eris.
* Barbar⁹ assẽtit Malabárq; Mogórq; Japónq;,
  Qui te thure novo, si patiare, colent.
Thure sed everso: Quis ego? *non sum DEUS*,
  inquis;
  At contrà: DEUS *es*, *Tu* DEUS; Indus ait.
Túne homo sis, instat, *quem mira potentia fecit*
  Majorem Indiacis, Japonicísque dijs?
Sum (XAVIER reclamat) homo, nec nomine
  tanto
  Dignus homo, vilis sponte vocabor *humus.*

Non

* *Historiam refert Nirembergius de arte voluntatis l. 6. his verbis: Invenio mandatum scriptis extranei Auctoris, qui ab oculatis testibus fatetur se accepisse, Japonios Bonzios coëgisse comitia, ut Xaverium consecrarent Deum, arâ sacrísque colendũ, misisséque ad illum nuncios, per quos divinos deferrent honores. Respondit humillimus Pater: indignus sum, quòd Creatura sim, & vultis Creatorẽ esse. Nec barbaris visa fuit humilitas indigna DEO. nõ potuit obstare Xaveri⁹, quin procumbentes in genua, pedes ej⁹ adorarent osculis. sic quosdã consecrat humilitas, usq; ad sinceram simulationem Deitatis. Hæc ille.*

Non homo, non humus es, Divûm sed honorib⁹ apt⁹,
Nate DEO Xavier, formáque digna DEO;
Sic replicat, triplicátq; Japō. Certatur utrimq;,
Iste Deum affirmat, se negat ille Deum.
Lite incompositâ medium teneamus amici;
Nō homo, non Deus est; ergò quid? * *Angel⁹* est.

IMAGO V.

D. Xaverius cœlica torrente voluptatis potatus exclamat SATIS EST! *simúlque copiam illam redundantium deliciarum in clientes suos derivat. ut proinde Cœlum in aureū imbrem solutum (quod de Jove narrat fabula) speciosum sit aureæ liberalitatis Xaverianæ symbolum, de qua dixeris: nunquam satis.*

XAVERIUS
ANAGRAMMA VI.
AXE RIVUS.

VErtit in auratum se quondā Jupiter imbrē,
Phæbeis fidibus si sit habenda fides.
Versus in aurifluum XAVIER dicend⁹ es imbrē,
Si tua servarint nomina versa fidem.
RIVUS ab AXE novus, geminū fœcundet ut orbē,
Gemmatóque solum rore salúmque riget.

Qua-

* *Ite Angeli veloces Isaiæ 18. v. 2. & Malach. 2. v. 7. Labia Sacerdotis custodient scientiam, quia Angelus Domini exercituum est.*

Qualis at hic RIVUS quē prodig⁹ impluit æther,
Eridanum dicent Astrologi esse suum.
Lacteus an rursum Junonis ab ubere RIVUS
Defluit, & monstrat lacteam ad astra viam?
Rive nove ah XAVIER vel parvā deplue guttā,
Sat fuerit votis parvula gutta meis!
Sit Pharijs Nilus, rutilus sit Tagus Iberis,
Tu mihi Tagus eris, Tu mihi Nilus eris,
Ah in me rue RIVE! riga! cœlique favores
Deriva! merget gutta cor una meum!

IMAGO VII.

D. Xaverius in Sanciano, Sinarum Insula, tentans Thesaurum illum non unâ margaritâ, seu animâ, sed 70. amplius millionibus pretiosum, (ultra enim 70. milliones hominum Sinense Regnum claudit) ex perditionis æternæ periculo eruere, optimè æquiparabitur Evangelico Operario (Matth. 13. v. 44.) qui præ gaudio vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. *Verùm dum absconditum hunc thesaurum eruere parat Xaverius, fossam sibi fodit ac sepulchrum. dignus tamen idcirco cœlorum potiùs quàm Sinarum Regno, quòd vitæ ipsius impendio, thesaurum eruere, & in Ecclesiæ gazophylacium inferre sategerit, itáque sat egerit.*

XA-

XAVERIUS

ANAGRAMMA VII.

VIX ERUAS.

DIc SATIS EST XAVIER. *Non plus* inſcribim⁹ *ultra*,
Sudatum ſatis eſt, frigoris ah ſatis eſt.
Quis labor iſte novus! feſſum quæ foſſa fatigat?
Erueris Sinicæ *vix* regionis opes.
Hæret viſceribus Theſaurus humatus in imis,
Vix ullius adhuc effodiendus ope.
Sic viſum Superis. Satis eſt voluiſſe, facultas
Si deſit, tibi quam fata deeſſe jubent.
Portâſti Indiacæ *pondúsque æſtúsque Diei*,
Veſper adeſt, ah ſunt jam duo luſtra, SAT EST!
Quantus prò denis veniet *denarius* annis,
Millio XAVERIO non ſatis unus erit.
Ergo veni & finem decumano impone labori,
Et quod dixiſti, jam quoq; dic: SATIS EST.

IMAGO VIII.

D. Xaverius poſt mortem incorruptus, Caſtello inexpugnabili componatur. Cinxere Caſtrum hoc 55. annorum obſidione nequiſſimi tres hoſtes, Mundus caro dæmon, & nequidquam profecêre. Projecerit globum ſuum mundus, Cuniculos egerit dæmõ,

ignes

ignes injecerit caro; stetit Arx Virgo, semper invicta, stabítque morte ipsâ superior. Inscripserat Symbolicæ Arci suæ in rupe à ventis frustra impugnatæ Alphonsus II. Carettus Marchio Savonæ lemma: Fortes probantur impetu, *& gentilitiæ columnæ suæ Pyrrhus Columna Marchio Mortaræ:* Neque pluviâ neque vento; *Xaverio (qui ab Arce nomen accepit) veriùs ego adjecerim illud ipsum ex vatidico nomine desumtum lemma:* Vives!

XAVERIUS

ANAGRAMMA VIII.


Arx vives!

CAstum Xaverii, *Castelli* nomine, Corpus
Et licet, & parili voce vocare libet.
Arx cœlo suppar, & inexpugnabile *Castrum*,
Quod nullo potuit Marte vel arte capi.
Tempus edax nequijt mordace lacessere dente,
Constitit & prædam temporis ipsa tulit.
Cúmque *Globum* dextrâ *Mundus* jactaret in auras;
Non cecidit dextrùm, fulmen inane fuit.
Invidiam videas, tortos jaculetur ut angues,
Déque *Colubrinis* mœnia firma petat!


Invidia ipſa ſibi tormentum, atque horrida tortrix,
Authoris repetunt ſpicula miſſa caput.
Inſultet Phlegethon, totóque inſurgat averno,
Arx tamen aſſultus non timet illa tuos.
Inconcuſſa manet, contráque minatur & arcet
Verſutósque dolos terrificásque *minas*.
Pro ſpecula Divin⁹ Amor circũ omnia ſpectat,
Infringítque auſus cæce Cupido tuos.
ARX VIVES! vives XAVIER cui militat æther,
Et procul hoſtiles arcet ab Arce manus.
Omen habe Lector, quod Amor ſuperaddidit Arci,
Lætúmque in primo limine lemma dedit:
Non te corrumpet, quamvis cor rumpat avernus,
VIVES! *nec poteris, cùm moriere, mori.*

FINIS.

A. M. D.
ET
S. XAVERII
Gloriam.



FA-



FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrà ſcriptus Societatis JESU per Provinciam Bohemiæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi ab A. R. P. N. Generali Joanne Paulo Oliva ad id factâ, in lucem dari permitto Elogia de S. FRANCISCO XAVERIO Indiarum Apoſtolo, Authore P. Carolo Libertino SOCIETATIS JESU, ab aliquot ejusdem SOCIETATIS Cenſoribus probata. In cujus rei fidem has litteras manu meâ ſubſcriptas & ſigillo officij munitas dedi. Pragæ 1. Januarij 1673.



Simon Schürer.

APPROBATIO ORDINARIJ.

Imprimatur.

Ex Arce Pragenſi 26. Martij 1673.

Thomas à Czechorod Officialis.

